

## Zweite Periode (1563—1773).

## Nr. 11.

*Lektionsplan für das Sommersemester 1564 (T. I, S. 200).*

Societatis Jesu Professores et Studiorum Academiae Dilinganae Praesides, Dei gratiam  
veramque pacem Christiano Lectori precamur.

*Nondum abiit semestre tempus, humane lector, quod Dilingam evocati  
lectiones publicas, Jesu Christo duce confisi, sumus auspicati. Huc nos accer-  
sivit ac impulit prorsus D. Otho Truchses, quem honoris gratia nominamus,  
colendissimus Antistes et illustrissimus Princeps, tum Cardinalis idem et  
Mecoenas noster, multis quidem nominibus venerandus. Cui sic visum est,  
ut celebris haec Academia, quam praeclare ipse fundavit et fundatam magnis  
evexit sumptibus, nostris porro studiis (quoad eius fieri queat) confirmaretur  
atque promoveretur. Etsi vero nihil est penitus, cur de nobis nostrisque viribus  
inaniter gloriemur, tamen de summa summi Dei bonitate immensaque gratia  
confidendo id polliceri possumus, nos curam, operam et diligentiam omnem  
adhibiuros, quam hoc praeclaro loco fidos Christianae iuventutis moderatores  
adhibere decet quaeque a peritis optimarum artium professoribus merito ex-  
spectanda est. Jam ut aliquod, quamvis exile, instituti nostri specimen  
extet, paucis hic lubet quasi delineare, quos hac aestate authores profiteri  
quibusque studiis concreditam nobis iuventutem excolere constituamus. Ita  
fiet, ut nemo sit hoc loco inscius de instituti nostri ratione, quam speramus  
aequis quidem censoribus facile comprobatum iri. Deinde absentes ex hoc  
classicorum authorum catalogo rectius colligent deligentque sibi, quod in studiis  
optimum et utilissimum esse arbitrabuntur. Neque addubitamus, quin studiosi  
aeque gratam sibi atque commodam sentient fidem, sedulitatem et methodum,  
quam explanandis iisdem authoribus adhibebimus. Caeterum hoc te unum  
rogamus, Christiane lector, ut bonos professorum conatus ad Jesu Christi  
gloriam propagandam et ob Reipublicae commodum unice institutos partim  
pio favore tuo prosequi, partim a profana aemulorum obtreactione, sicubi  
usus ita ferat, vindicare non cesses. Vere scripsit Aristophanes: Ἄλλ' ὄχι  
ἔνεστι συκοφάντου δόγηματος. Sed quicquid tandem molietur caeca et impudens  
calumnia, Christo Jesu suus et integer honos constet, precamur; illi docentium  
iuxta et discentium labor unice serviat, ad illius nomen celebrandum nos  
et conditos esse et restitutos inprimis cogitemus. Facessant affectus impuri,  
divini honoris maculae, humanarum mentium corruptelae gravesque pestes  
artium liberalium: In Christo Jesu, qui summa existit et aeterna sapientia,  
stude, vive et vale lector.*

Catalogus lectionum et exercitationum Academiae Dilinganae ad communem usum  
studiosorum.

In Schola Theologica.

Ad Timotheum epistolae duae vere Apostolicae.  
Tractatio de Sacramentis hodie necessaria.

Accedent frequentes de sacris disputationes.  
Et aliquid in hebraea sanctaque lingua.

In Schola Physica.

Libri Aristotelis de generatione et corruptione, de meteoris et qui sequuntur Physicae disciplinae.

Cum adiuncta repetitione ante et post prandium.

Inserentur disputationes crebrae.

Legetur et in Mathematicis, ut Arithmetica, Sphaera et id genus consimilia.

In Schola Logica.

Organum Aristotelis Peripateticorum principis.

Cum usu frequenti repetitionum ac disputationum.

In Schola Rhetorica.

Libri Ciceronis de inventione.

Orationes eiusdem pro lege Manilia et pro Archia poeta.

Liber primus Aeneidos Vergilii.

His adiungentur compositiones et declamationes.

In Graecis.

Grammatica graeca Nicolai Clenardi.

Plutarchus de educatione liberorum.

Et si quid aliud lectu commodum sese offeret.

In humanioribus literis seu prima classe Grammaticae.

Syntaxis Sigismundi Lupuli.

Exercitationes latinae linguae.

Familiares epistolae Ciceronis.

In stylo frequens exercitatio.

In secunda classe Grammaticae.

Grammatica Sigismundi Lupuli.

Catonis disticha.

Ciceronis epistolae selectae.

Quaestiones ac repetitiones non infrequentes accedent.

In tertia classe Grammaticae.

Declinandi et coniugandi formulae.

In his memoriter recitandis tyrones exercitabuntur.

Praeter haec omnia.

Instituatur lectio catechistica hebdomadatim, tum et concio latina diebus festis et orationes subinde recitabuntur, erit frequens etiam usus in classibus et publice disputandi. Hinc fore auguramur, ut neque doctrinae

sine pietate neque pietati sine doctrina sit in hac schola locus, sed utrinque potius tantum accipiant studiosi, quantum ad bene beateque vivendum formandis adolescentum animis sat esse potest Christo Jesu auxiliante.

Sit nomen Domini benedictum in saecula.

Ad studiosam iuventutem.

Huc celeri propera pubes Germanica gressu,  
 Dum tu thesaurum religionis amas.  
 Inclyta si virtus morumque oblectat honestas,  
 Et pudor est priscam contemere fidem,  
 Si iuvat ingenuas gravibus sine sumptibus artes  
 Discere, quo tendas praepete ad astra gradu.  
 Haec Dilinga dabit Truchses illustris honore,  
 Dotibus innumeris aequiparanda locis.  
 Gloria Suevorum, Musis aptissima sedes  
 Haud minus haec laeto gaudet amoena situ.

Ἡ νεότης θαλέθουσα φέρει τινὰ χρήσαν ἐν αὐτῇ,  
 Ἀλλὰ μόνη μικρὸν χρησίμων ἐστι μόνως.  
 Ἡ νεότης σπουδαία σὺν ἤθεσιν ἀνθος ἔχουσα  
 Ἥλικίης, σεμνῆ, χρηστοτέρη τε δούα.  
 Εἰ δέ κε παιδείης κόσμος πολύγλωττος ἐφ' ἤβῃ  
 Ἐῖη, χρηστοτάτη ζεύγνται ἤδε τριάς.  
 Ἄν δέ τις ἐνομίης τοῦτοις παιδεύματα προσθῆ,  
 Ὅντως ἐστὶ τετράς χρήσει χρηστοτάτη.  
 Τῷ ῥα νέων ἀγαθοὶ εἰς φροντιστήριον εἰδῶς  
 Σπεύδετε, τῆς σοφίης εὐσεβίης τε γέμον.

Dilingae excudebat Sebaldus Mayer, Anno Domini 1564.

Nr. 12.

Lektionsplan für das Wintersemester 1565 (T. I, S. 200).

Catalogus lectionum et exercitationum scholasticarum, quae hoc anno M. D. L. XV. proxima studiorum renovatione in Academia Dilingana ad informandos Christianae iuventutis animos (Deo duce) proponentur.

In Classe Theologica.

Sacrosanctum D. Matthaei Evangelium enarrabitur.

Explicabuntur accuratissime controversa nostri temporis dogmata iuxta optimorum Theologorum sententiam et unius sanctae Catholicae atque Apostolicae fidei normam. Accedet brevis luculenta tamen sacerdotum institutio ex divinis et ecclesiasticis canonibus deprompta.

Praeter eas disputationes, quae de auditis lectionibus celebriores fient singulis mensibus inter Theologiae auditores, habebuntur etiam hebdomadariae, una cum quotidianis repetitionibus.

## In Classe Metaphysica.

Legetur Aristotelis Metaphysices liber duodecimus, quem ita explicabit professor, ut praecipuas insignioresque simul totius Metaphysicae materias tractet accurateque explicet.

Instituetur praeterea Logices atque Physices totius diligens repetitio.

## In Classe Physica.

Aristotelis octo libri Physicorum, quibus reliqui quoque deinceps naturalis Philosophiae libri succedent.

## In Classe Logica.

Proponetur initio Philosophiae tyronibus brevis ac facilis in Aristotelis Logicam introductio, qua explicata substituetur isagoge Porphyrii atque totius deinde logicae facultatis organum.

In his tribus Philosophiae classibus praeter repetitiones quotidianas disputationesque instituentur graviore diebus sabbatinis et mensis cuiusque initio communes omnibus philosophiae auditoribus.

## In Classe Mathematica.

Geometrica elementa Euclidis pro initio et quasi fundamento disciplinae Mathematicae studiosis tradentur, adiungetur deinde Arithmetica, Sphaera et Johannis Stophlerini Astrolabium.

## In Classe Rhetorica.

Libri illi Ciceronis et eloquentia et eruditione cultissimi ad Q. fratrem. Eiusdem oratio pro Milone.

Habebunt praescriptam horam pro corrigendis examinandisque tam graecis quam latinis compositionibus.

Diebus item sabbatinis in positiones ex lectionibus decerptas disputabunt.

Ut vero huius facultatis studiosi quam optime stylo (qui est optimus dicendi magister) proficiant, cum privatis tum publicis declamationibus, festis maxime diebus exercebuntur; ubi aut virtutum encomia aut sanctorum hominum laudes aut alia huiusmodi nec a suis studiis nec a christiana pietate aliena argumenta nunc graeca, nunc latina oratione persequentur.

## In Hebraicis.

Cum hebraea Grammatica Clenardi explicabitur quoque hebraicum psalterium, ut praecepta in usum traducantur.

## In Classe Politioris Literaturae.

Post explicatum de verborum copia libellum audient dialogum Ciceronis de amicitia.

Salustii historiam de bello Catilinario, quae lectio erit communis huic classi cum Rhetoribus. Tertium librum Vergilianae Aeneidos.

In Classe Syntaxeos.

Praelegendur Syntaxis Despauterii.  
 Secundus liber Tristium Ovidii.  
 Epistolae Ciceronis familiares.

In Graecis.

Auditoribus humaniorum literarum exponetur graeca Grammatica Clelandi cum evangeliiis et epistolis graecis, ut et ipsi habeant, in quo praecepta exerceantur.

Rhetoribus vero et in ea lingua provectoribus proponetur Syntaxis Varenii cum Philippicis Demosthenis.

In Classe Grammatices.

Etymologia Despauteriana cum faciliori quodam Syntaxeos compendio.  
 Ciceronis epistolae selectae.  
 Pia ac vere christiana Michaelis Verini disticha.

In Classe Infima.

Memoriae mandabunt principia Grammatices.

Audient illam Despauterii partem, quae de nominum generibus et declinationibus tractat.

Exponentur ipsis carmina Catonis.

Habebunt et hae inferiores classes repetitiones quotidianas, communes item omnium lectionum diebus sabbatinis, crebras quoque disputationes, ut non solum vincendi cupiditate iuvenilis ardor magis ad studia inflammetur, verum etiam hoc utili congressu atque iucundo conflictu ipsorum iuvenum ingenia promptiora acutioraque reddantur.

Exhibebunt bis per hebdomadam praescripta themata praeceptorum corrigenda. Exercebuntur in componendis versibus. Victoribus praemia statuentur.

Neque deerit christianae huic iuventuti nobis concredita lectio catechistica, quae quidem studiosis altiorum classium gravior, inferioribus faciliior et puerili captui accommodatior hebdomadatim instituetur. Dabunt quoque operam praeceptores, ut haec christianae vitae praecepta quam diligentissime frequenti usu puerorum animis infigant atque imprimant.

Aggrediemur hunc lectionum ordinem (Deo volente) primo die Octobris post publicas Theologiae Philosophiaeque disputationes, quas iuxta receptam nostrae Societatis consuetudinem annis singulis in autumnali et celebriori Academiae studiorum instauratione instituimus; eas quidem hoc anno 8. Kale. Octobris auspicabimur protrahenturque ad quattuor dies, ut duo Theologis, duo item Philosophis ad disputandum concedantur.

Praemittentur disputationibus duae orationes, quarum una non minus docta quam ornata Christophorus Gail, artium ac philosophiae Magister,

laudes Theologiae, altera Joannes Ramsbeckius Herbipolensis, artium Bacca-laureus, Philosophiae dignitatem celebrabit.

Ne porro inferiorum classium auditoribus, iis potissimum, qui caeteris diligentiores, maiores in studiis fructus fecerunt, dignus honos desit, fiet diligens omnium examen et primi singularum classium pro praemiis elegantiores libellos accipient, qui in festo D. Hieronymi in aula academica iuxta ordinem (recitata prius de laudibus D. Hieronymi oratione) distribuentur. Nec deerunt varia tunc epigrammata, quae et in Dei atque D. Hieronymi laudes a nobilibus pueris decantabuntur; quibus eum diem ornari, iuventutem excitari et honesta studia promoveri posse arbitramur.

Christus Jesus, ad cuius honorem immortalemque gloriam omnia a nobis suscipiuntur, ea secundet et feliciter nostros conatus dirigat.

Ad iuventutem Dilinganam carmen paraeneticum.

Vi, face et ingenio Lernaeam contudit Hydram

Oetheus, his iisdem triplicis ora Canis.

Thesea non aliter dirum superasse Creontem

Fama est, et saevum semivirumque bovem.

Scilicet haud facinus fieri memorabile fas est,

Endymionaeus si gravat ossa sopor,

Qui cupis optatam studiorum attingere metam,

Splendeat ut capiti digna coralla tuo:

Si non ingenii natura negavit acumen,

Et domus ad studium suggerit ampla faces:

Perge, age vimque adhibe citius, nec parce labori,

Est dea, quae volucris post pede calva fugit.

Sin nec acuta tibi fuerit mens, saevave torquet

Pauperies, (ah) nec desere coepta rogo.

Vis vi comprimitur, gutta sic saxa cavantur:

Sic aridos nuper iam rigat Ister agros.

Laus Deo Immortali.

### Nr. 13.

*Deutsches Abgangszeugnis. Zwischen 1565 u. 1585. (T. I, S. 244.)*

(Lib. testim. I, 159.)

#### **Teutsch Testimonium und Abschid.**

Theodoricus Canisius Societatis Jesu, der heiligen Schrift Doctor und Rector der Universität allhie zu Dillingen, wünscht allen denen so gegenwertige Zeugschrift zu handen komen wird, und<sup>1</sup> Heil: Demnach wir Antes halber der Warheit beistand laisten und unjerer Studenten Nutz und Fromen als vil uns imer möglich fürdern mieffen und sollen und aber der erbar Jüngling N. N. all-

<sup>1</sup> Vor und ist offenbar ein Wort ausgefallen, etwa: Segen.

hie seines Wohlhaltens halber um ein Fürschrift anhalten lassen, bezeugen und bekennen wir hiemit öffentlich, daß erst ermelter N. die Zeit weil er hie gestudiert jez bis in das dritte Jahr sich alzeit ehrlich recht und wol als einem erbaren Studenten gebürt, verhalten hat. Deshalben er denn auch aller Hilf und Befürderung bei allen guetherzigen Christen wol würdig. Deß zur Urkund haben wir gegenwertige Commendation und Fürschrift mit unser Univerſitet gewöhnlichen Inſigel und unserß geschwornen öffentlichen Notarii Umderschrreibung bekräftiget.

#### Nr. 14.

*Erlaß an die Studenten vor Beginn der Ferien. 1569. (T. I, S. 180.)*

(Act. Univ. I, 401.)

Cum tempus a gravioribus studiis aliquamdiu cessandi adsit, quod quidem eo consilio concedi norunt studiosi adolescentes, non ut ab omni prorsus lectione studioque vacetur, sed ut in molestiori caniculae aestu tuendae valetudini honestaeque relaxationi aliquid tribuatur: tum ut qui ad venturam hiemem necessario commeatu instructi non sunt, citra magnum studiorum suorum detrimentum, hac occasione sibi eum parent; volumus et ordinamus, ut nullus hinc, nisi parentum voluntate vel graviori causa urgente, obtenta etiam a nobis vel a studiorum Praefecto in scriptis facultate, et bona sui hospitis vel creditorum pace, discedat.

Quibus porro abundi potestas facta fuerit, non praescripto certo redeundi tempore, hi in primis S. Aerae martyris, sexto scilicet Augusti mensis die omnino adesse curent.

Reliqui vero qui iustam abundi causam non habentes hoc in oppido morabuntur, sciant se ex more institutoque Universitatis ad audiendam quotidie rem divinam, ad sacra officia diebus festis aliasque consuetas preces in Academiae Sacello frequentandas teneri.

Et ne hi otiose tempus reliquum conterant, proponuntur ex more, Philosophis praesertim et inferioribus classibus, paucae quidem, utiles tamen lectiones, quibus et frequentes et iucundae accedent exercitationes aliae literariae. Volumus autem, ut nulli ex studiosis nostris Dilingae versanti sine legitima causa et facultate nostra a praedictis abesse liceat. Dominus Jesus labores et otia vestra in laudem et gloriam sui sanctissimi nominis et reipublicae Christianae atque vestrum omnium commodum benigne convertat.

Rector Dilinganus.

#### Nr. 15.

*Erlaß an die Studenten vor der Fastnacht c. 1569 (T. I, S. 372).*

(Act. Univ. I, 399.)

Solent hoc tempore homines suae salutis parum studiosi impudentius quam reliqui anni parte vitii diffuere atque Bacchantium more in omnem sese peccandi licentiam effundere. Quae tamen res cum christiana pietate

pugnat plurimum. Proinde ne Dilinganae Academiae studiosi dissolutum hoc vivendi genus hoc tempore sibi licere existiment, leges Academiae repetendo serio interdiciamus omnibus ac singulis, ne ante quadragesimam vel in ipsius initio personati per vicos urbis incedant, neve choreas ducant aut ullo musico instrumento extra domum ludant, neque Lavingam divertant vel cauponam ullam bibendi gratia ingrediantur neve usquam alibi computationibus vacent. Nocturno etiam tempore nemo post primam vigillum proclamationem domo egrediatur, nisi legitima causa urgeat et honesta cum lumine comitetur societas, remotis interim armis et inconditis clamoribus. Et quamvis a lectionibus hoc triduo vacabunt, sciant tamen, ad sacra officia communesque preces se adstrictos. Norunt honesti, honeste se recreare modumque adhibere rebus omnibus, quod nobis quoque de honesta Dilingana iuventute pollicemur. Si quis tamen, quod absit, christianam hanc admonitionem nostram neglexerit legesque Academiae impudenter violaverit, non carceris modo, sed et exilio aliisque gravissimis poenis in se animadvertendum sciat.

Rector Dilinganus.

### Nr. 16.

*Statuten des päpstlichen Alumnats (T. I, S. 431).*

#### Constitutiones Pontificiis Alumnis observandae.

##### I.

Principio admonentur omnes, Seminarium hoc in eum finem erectum esse, ut alantur in eo et instituantur, qui spiritualibus provinciae superioris Germaniae necessitatibus pro talento a Deo accepto possint opitulari. Proinde polliceantur et parati sint, si quidem ad Seminarium admissi sint, vitam Ecclesiasticam agere et quaecumque a Magnifico Rectore Academiae et Collegii Societatis Jesu erit iniunctum, sacros ordines suscipere, deinde vero in Collegio tam diu perseverare, donec suis studiis finem imponant aut idonei censeantur, qui in provincia superioris Germaniae in vinea Domini suam operam utiliter et cum laude praestare possint. Item promittent, se sub obedientia Summi Pontificis ac in religione Catholica semper victuros iuxta professionem fidei editam a Pio IV. sanctae memoriae, quam emittent.

##### II.

Quoniam autem ea demum utilis ac salutaris doctrina est, quae pietatis habet fundamentum, sub ipsum ingressum in Collegium de rebus spiritualibus ad tuendam animi puritatem una cum timore Domini spatium octo aut decem dierum instruuntur, tum ut maturius de suscipiendo et recte instituendo Ecclesiastico vitae genere deliberent, tum ut sancta haec paucorum dierum consuetudine assuefacti libenter reliquo tempore portunculam aliquam diei impendant in conscientiae suae examinatione et piis orationibus, prout edocebuntur.



## III.

In collegium ingressi intelligant, communes leges Collegii, consuetudinem ac modum vivendi aliis convictoribus praescriptum sibi pro ratione sui status exactius et perfectius observandum esse, curentque, ut exemplo suo aliis omnibus in Domino prae luceant.

## IV.

Simul omnes quotidie hora et loco designatis Litanias communes cum sequentibus collectis pro Summo Pontifice et Ecclesia recitabunt. Et qui ad horas canonicas non tenentur, quotidie horas B. V. recitabunt.

## V.

Singulis mensibus saltem ad sacram Eucharistiam, facta peccatorum confessione sacerdoti ad hoc munus designato a P. Rectore, reverenter accedant.

## VI.

Quod ad studiorum rationem et litterarum exercitationem attinet, nemo suum sensum et voluntatem sequatur, sed permittat se potius Rectoris iudicio gubernari. Illi enim curae erit, iuxta Summi Pontificis sententiam ac mentem, vel per se vel per ordinarios superiores Collegii singulis praescribere primum ea studia, in quae ipsos incumbere, et auctores, quibus potissimum dare operam conveniat; deinde tempus, quod in quoque studio poni debeat, tum modum et rationem in ipsis studiis retinendam. Quare ante studiorum suorum cursum iudicio R. P. Rectoris absolutum Ecclesiastica nulla suscipiant beneficia, quae studiis impedimentum aliquod offerre possint.

## VII.

Ad sustentationem suam octoginta florenos tantum sibi deputatos sciant, e quibus pro victu, habitatione, lecto, lotione, lignis, candelis, famulis etc., parte conveniente a Regente conservata, residuum ex illis octoginta, quod apud Regentem depositum habetur, singuli pro arbitrio vel in potu ad mensam vel in vestitu aliisque necessitatibus impendere poterunt. Quod vero supra hoc residuum impendent, ex propriis pecuniis solvendum sibi esse intelligant.

## VIII.

Contenti vivent communi mensa convictorum. In vestitu eam tenebunt moderationem, qua contentos esse oporteret clericos infra canonicos et his superiores constitutos. Unde materia vestis nec sericum esse debet nec holosericum nec aliquid his re et pretio consimile, forma nihil alienum habeat a simplici decoro habitus clericalis. Tunica sit manicata, paululum duntaxat infra genua protensa, sub collum sex circiter fibulis aut nodis clausa et cingulo vulgari, hoc est, nec arte nec materia pretioso, ad corpus adstricta. Pallium tunica paulo longius esse poterit, sed ad collum non

fimbriatum holoserico. Utriusque tam tunicae scilicet, quam pallii materia erit toto anni tempore pannus laneus mediocris pretii. Vestes intra tunicam convenit esse solius necessitatis adeoque minimi pretii et simplicis formae. Tibialia non erunt nisi nigri coloris. Calcei ex vulgari corio et forma non dissecti nec superne ligulis aut fasciis sericis constricti. Collaria indusiorum ex communi tela, plana, non crispata, rigentia aut acu studiosius elaborata, inflexa modice super collare tunicae. Ab hac ratione vestitus non liceat ulli alumnorum recedere, nec titulo gradus litterarii philosophici aut theologici nec ordinis sacri nec paedagogiae nec imminentis habitus ex convictorio nec ullius alterius, quocunque ille nomine vocari possit.

## IX.

In cantu et ceremoniis Ecclesiasticis, cum opportunum fuerit, se exercebunt, ut item statutis horis tum in scribendo aut in disputando, tum etiam docendo catechismum et concionando: ut his demum armis ad proximorum spiritualem salutem serio uti possint.

## X.

Postremo, si qui processu temporis vel ad finem Seminario propositum inutiles vel moribus incorrigibiles deprehenderentur, eos dimitti oportebit. Quod si etiam contingeret (quod Deus avertat), ut aliquis vel praefixo tempore sacris initiari vel alia ex praescriptis facere nollet, vel certe alioqui consulto se gereret, ut dimittendus esset, eiusmodi visum est pro Rectoris arbitrio in communem Seminarii utilitatem ad restitutionem expensarum astringendum.

## Nr. 17.

*Eidliches Versprechen der Studenten bei ihrer Aufnahme (T. I, S. 262).*

(Manusk. Nr. 216 u. 229.)

## Formula iuramenti studiosorum.

Ego N. tanquam Catholicae et Apostolicae Ecclesiae filius toto corde et ore eam orthodoxam et salutarem fidem, sub obedientia unius Summi Pastoris Christique in terris Vicarii, Romani Pontificis, firmiter profiteor, quam Catholica Romana tenet Ecclesia, constantissime et firmissime credens ac in posterum, Deo adiuvante, semper crediturus, quidquid eadem Ecclesia credendum docet et docebit; ex animo quoque detestor omnes haereses ab Ecclesia Romana damnatas vel in posterum damnandas. Dehinc trado me in disciplinis, bonis moribus et pietate instituendum sub directione, gubernatione et regimine pro tempore existentis Rectoris, Gubernatoris aliorumque, quibus ipsi id negotii dederint, quibus etiam, quamdiu Dilingae habitavero, promitto obedientiam secundum huius Academiae statuta, paratus corrigi, cum deliquero.

## Nr. 18.

*Formel bei der Deposition neu ankommender Studenten (T. I, S. 177).*

(Direct. Acad. P. VI, c. 5, p. 218.)

## Forma absolutionis a Beanismo.

Germanica formula pro iis, qui latinam nondum intelligunt.

Wolan ihr Beani, ehe ihr ieszund von Eürer Bachanterei erlebiget werdet, müeßet ihr 4 Sachen engloben.

Erstlich daß ihr admodum Rev. ac Magnifico P. Rectori und Eüren für-gesezten Professoribus wöllet gehorsam sein.

Zum Anderen, daß ihr allen denjenigen, welchen es gebürt, alle Ehr und Reverenz erweisen wöllet, damit man könne abnehmen, daß ihr Studenten seyet.

Für das Dritte, daß ihr Euch nit wöllet rechen an denjenigen, welche Euch deponiert haben.

Leztlich und zum Vierten, daß ihr Euch nit mer wöllet deponieren lassen, es seye gleich hie oder anderstwo: sondern Euch hieten, daß ihr durch böse Sitten nit verdient widerum under das Bachanten Vidz gezeit zu werden.

## Latina formula.

Priusquam vos Beani a vestro Beanismo liberemini, quattuor sequentia vovere ac praestare debetis.

1° quod admodum R. et Magnifico P. Rectori et praepositis vobis praeceptoribus obedire velitis.

2° quod omnibus, quem decet honorem ac reverentiam exhibituri sitis, ut omnibus constet, vos esse studiosos.

3° quod vos nullo modo de eis, qui vos deposuerunt, velitis ulcisci.

4° et postremo quod hunc depositionis actum neque hic Dilingae neque alibi denuo subire velitis, sed operam dare, ne unquam per mores parum dignos homine studioso promereamini rursus in numerum Beano-rum detrudi.

Quibus promissis dicit:

Quod ergo felix faustumque sit, Ego N. N. autoritate a Magnifico Domino Rectore mihi concessa vos absolvo ab omnibus impedimentis, quibus hactenus impediti fuistis, quominus potueritis gaudere privilegiis, quibus tam huius quam aliarum universitatum studiosi gaudere solent. Et in signum huius impono capitibus vestris salem sapientiae, ut pietati et bonis moribus acriter insistendum esse intelligatis.

Perfundit vino capita singulorum dicendo:

Propterea perfundo capita vestra vino dulcedinis, ut in litterarum studiis non tam acrimoniam et vim quam dulcedinem et suavitatem inesse cognoscatis.

**Nr. 19.**

*Eid des akademischen Buchdruckers (T. I, S. 127).*

(Manuskr. Nr. 229.)

**Juramentum Typographis praestandum.**

Ich N. bekenn und glaub von Herzen namentlich und sonderlich alles, so die heilige und Catholische, Apostolische, Römische Kirch befiehlt zu glauben u. Ich ergib und underwirf mich auch hiemit der Disciplin, Statuten und Satzungen der löblichen Universität allhier zu Dillingen, sonderlich nichts zu trucken ohne Erlaubnuß, versprich gebürlichen Gehorsam dem Hochgelehrten Herren Rectori, Gubernatori oder denjenigen, so mir von ihnen fürgesetzt, zu leisten, auch willig und bereit verdiente Straf anzunehmen, solche nimmer mehr durch mich selbst oder andere zu rechen. Darzu helf mir Gott und alle seine Heiligen.

**Nr. 20.**

*Eidliche Versprechungen des akademischen Buchdruckers und seiner Gehilfen nach dem Direct. Acad. P. I, c. 5, § 2 Jan.*

(T. I, S. 127.)

1. Quod nihil velit imprimere, nisi permissu R. P. Rectoris et subscriptum a P. Cancellario. Item ut constet, eos non aliter impressisse, quam concessum fuit, dabunt statim singulorum foliorum unum exemplar eidem Cancellario, prius quam distrahatur liber, recognoscendum.
2. Se nulli citra Rectoris expressam licentiam ostensuros seu communicuros, si qua imprimenda sunt, quae eius iudicio secretum exigunt.
3. Si qua alibi impressa huc apportentur, se illa nemini duros aut vendituros sine licentia Rectoris aut Cancellarii, quorum proinde catalogum iuxta decretum Concilii Trid. sess. IV. et si petatur, ipsos etiam libros inspiciendos alterutri prius dabunt, quam cuiquam dent aut voenum exponant.
4. Quod novos famulos librarios Typographiae mittere velint ad P. Rectorem, ut ei obedientiam praestent.
5. Quod, sicut gaudent privilegiis Academicis, ita etiam servare velint eiusdem statuta ad eosdem spectantia, praesertim illud de confessione, communione praestanda septies in anno.

**Nr. 21.**

*Lateinische Instruktion für den akademischen Pedell (T. I, S. 132).*

**Officium Bedelli brevibus regulis comprehensum.**

Sciat se esse ministrum totius Universitatis, a qua suum stipendium habebit, quare det operam, ut illam tanquam matrem credat venereturque. Audiet sacrum diebus singulis cum studiosis, festis diebus etiam contionem, nisi iusta aliqua causa praepediretur.

Aderit tempestive profestis diebus in Collegio, ut studiosos observet, quando ad sacellum rem divinam audituri vel consuetas preces dicturi ascendunt, ne circa classes et scalas haereant vel e templo excurrant vel alia ratione contra modestiam peccent.

Festis diebus et quotiescunque Rector ad templum prodibit, tempestive aderit, ut sceptrum praeferat.

Versabitur toto die, quoad fieri poterit, in Collegio, maxime tamen dum lectiones habentur; mane item, meridie et ante coenam Rectorem adibit, petiturus an suam operam requirat.

Verret classes inferiores singulis hebdomadibus semel cum scalis, superiores 15. quoque die, sacellum ad minimum semel in mense.

Calefaciet fornaces classium, observabit praeterea fenestras, ne vento concutiantur aut deiiciantur, et si quid circa classes fractum offenderit, referet Regenti.

Sui muneris quodammodo praecipuum esse intelligat, ut eos studiosos, qui vel a lectionibus vel sacris sese subtrahunt, cives aut alios iniuria aut molestia afficiunt, nocte per plateas vel diversoria vagantur aut alio modo Universitatis leges violant, quam primum vel ad Rectorem vel Gubernatorem deferat, ne diuturniori licentia magis insolescant vel gravius discrimen incurrant.

Nunquam potabit cum studiosis nec privatim nec in publicis hospitiiis, rixas contentionesque studiosissime fugiat.

Mulieres nunquam nec suam quidem coniugem (si habuerit) in Collegium introducat.

Parebit officiose domino Gubernatori in iis, quae ad Universitatis negotia spectant; ex eo saepius intelliget, quid sibi agendum quidve expediendum sit.

Nullum deponet absque Rectoris consensu.

In depositionibus utatur summa modestia, ne quisquam tam verbis quam factis laedatur.

Nil praeter praescriptum stipendium a quoquam exiget.

Quodsi haec vel negligenter omiserit vel libenter neglexerit, sciat se carcere vel alia poena mulendum.

## Nr. 22.

### *Deutsche Instruktion für den akademischen Pedell (T. I, S. 132).*

Eines akademischen Bedellen bei der Höchsten Schuel in Dillingen Amt und Bestallung.

1. Soll ein bedell wissen, daß er ein geschwornener diener der universitet ist, und deswegen schuldig und verpflichtet, S. P. Rectori, Gubernatori, Praefecto Studiorum und den Professoribus in allen denen, so die universitet beriehet und antrifft, willig gehorsam zu laisten.

2. Insonderheit solle ein bedell schuldig und verpflichtet sein, daß er nit allein in gemein auf alle studenten ein fleißiges aufsehen habe, daß sie nichts wider

die gebühr und guete sitten handeln, sonder auch fürnemlich und sonderbar auf diejenige, so die schuelen und gottesdienst leichtlich mehrmahlen versaumen; welche burger und andere ehrenleit belaidigen; so die tanz und wirthshäuser oder ainigerlei verleimpte, beschraithe örthher besuechen; welche ihr oder ihrer eltern, patronen oder herren geld unnuzlich verthun und verschwenden; welche in ainigerlei unzuht, spihlen, unmäßigem trinken und essen umschwaisen und vagieren, ihr zeit verzehren, oder auf andere weis und weg der univrsitet statuten, sazung und ordnung übertreten. dise alle oder deren namen solle er bedell alsbald schriftlich oder mündlich dem H. Rectori oder Praefecto Studiorum ohne respect anzaigen.

3. So gehört auch einem bedellen eigentlich zu, diejenige zu deponiern, so erstlich von den particular oder privat schuelen in diese univrsitet kommen, mit welchen er in worten und auch werken alle beschaidenheit brauchen soll, und dergleichen deposition ohne vorwissen und verwilligung H. Rectoris oder Praefecti Studiorum auff der univrsitet nit fürnemen, und sich jeder zeit mit der bestimten und gewöhnlichen tax begnügen lassen.

4. Ferners da er bedell wissen solle, daß einer oder mehr hieher zum studieren kommen seien, und sich innerhalb 3 tåg bei der Academia nit anmelden, daß sie examinirt und eingeschriben werden, auch die lectiones und gottesdienst nit besuchen, solle er solches dem H. Rectori oder Praefecto Studiorum kund machen. ebenmäßig solle er schuldig zu thun sein mit denjenigen, so aus der vacanz oder sonst wider herkommen, nachdem sie ein zeit ausgewesen. item auch mit denen, so nach empfangenen testimonia und abschid ohne billiche urfachen noch lenger in Dilingen verkehren.

5. Da nit erhofte urfachen und verhindernussen vorhanden, soll er täglich in der univrsitet samt denen studenten dem gottesdienst bewohnen, die studenten darinnen observieren und dem P. Praefecto die vermelden, so aintweters von dem gottesdienst laufen oder sich darin ungebührlich und unziemlich verhalten. und da ehrliche frembde leit in die univrsitet, den gottesdienst, lectiones, comedias, disputationes und dergleichen anzuhören kommen, solle er sie an gebührliche ort führen und setzen.

6. Zu den fürnemsten hohen festtåg als am weihnachten und neuen jahrtag, ostern, pfingsten, frohnleichnam, unser frauen himmelfahrt, S. Hieronymi, S. Ursulae und allen heiligen tag und dan auch in actibus solemnibus, promotion soll er zeitlich vor dem H. Rectore erscheinen, das sceptrum vorzutragen.

7. So oft man in die schuelen und lectiones das zeichen gibt, soll er sich in der univrsitet zeitlich finden lassen und mit fleiß verrichten, da ihme von P. Praefecto oder den Professoribus etwas zu thun wird aufgelegt.

8. Da ihme bewußt, daß etwan einer hier, der gleichwol kein student, aber mit seiner conversation von religions- oder auch politischen sachen denen studenten ärgerlich und schädlich wäre, soll er H. Rectorem oder Praefectum Studiorum dessen berichten.

9. Ehe einem studenten, so von hier wegzuziehen begehrt, ein testimonium gegeben wird, soll er, inmassen ihme anbefohlen, zuvor erkundigen, wie er sich auff der univrsitet gehalten und ob die gläubiger bezahlt und befridiget seien.

10. Ohne vorwissen und bewilligung seiner obrigkeit soll er über land nit raifen und da es ihme vergonnt, zu bestimter zeit sich wider einfinden.

11. Die ganze univērsitet, das ist alle schuelen, saal, vorplatz und vorhof soll er jeder zeit sauber behalten, so oft es vonnöthen, dieselbigen auskehren oder durch gewisse besohnte personen fleißig auskehren, den staub und spinnen von den wänden, cathedris, bänken und mauren wegkehren, die fenster auf und zu thun lassen. da auch an gemelten orten etwas zerbrochen oder sonst machens vonnöthen, soll er solches dem Praefecto Studiorum anzeigen.

12. Es solle auch ein bedell wissen, daß sein amt, die studenten, die der S. Rector, Gubernator, Studiorum Praefectus ainiger ursach halben begehrt für sich zu kommen, fleißig zu suchen, beruesen und erfordern, und da einer oder mehr in die gefängnuß geschafft werden, darein führen, und selbe nit anders als wie ihme von denen, so sie darein geschafft, befohlen wird, mit essen, trinken, geliger und allem andern tractieren nit mehr noch weniger durch sich selbst oder andere zutragen.

13. Wan ein actus Academicus, als Baccalaureatus, Licentiatius, Magisterium, Doctoratus, Disputationes angestellt werden, ist er schuldig, nach anleitung des Praefecti Studiorum selbiges ort zu richten und zieren, die teppich und dergleichen sachen ohne schaden aufschlagen und widerum herabnehmen, selbige zuvor ausspußen, ehe ers an ihr ort lifert.

14. Mit seiner bestimten besoldung soll er sich in allweg begnügen lassen, und die studenten ferners weder haimlich noch öffentlich nichts anfordern; damit er wisse, was er zu fordern oder einzunemen habe, wird solches hier ordentlich verzeichnet. (Dieses Verzeichniß fehlt.)

### Nr. 23.

*Statuten für die Ollarier oder die armen Studenten. 1604.*

(T. I, S. 468.)

#### *Regulae iis observandae qui Dilingae apud ollam aluntur.*

Ante omnia grati existant, agnoscant benefitium R<sup>mi</sup> atque Deo gratias agant pro ea eleemosyna, qua se sustentari et in studiis iuvari sentiunt.

Nulli ollam adeant vel inter caeteros vivant absque Rectoris consensu, penes quem erit etiam potestas eos dimittendi, qui minus idonei censentur.

Nulli recipientur, nisi tantum in studiis profecerint, ut ad minimum sint apti ad lectiones 2<sup>dae</sup> classis Grammaticae. Priusquam admittantur, exponant, quamdiu sint Dilingae perseveraturi, atque promittant Rectori, se nolle nisi iusta de causa, quam ipse cognoscat, discedere; quodsi quis contra datam fidem et sine causa abire voluerit, nullum testimonium ab Universitate vel Rectore expectabit vel habebit.

Ut prosint aliquando patriae, illi potissimum suscipiantur, qui Suevicæ sint nationis, nec tamen omnino externi excludantur, maxime si ad pietatem atque literas discendas apti videbuntur.

Ut autem innotescat ipsorum in literis profectus neve eorum segnitias pigritiaque foveatur, examinabuntur aliquoties in anno atque illi, qui minorem (quam par erat) fructum fecerint, tempestive removebuntur, ne aptioribus locum praeripiant.

Utantur perpetuo sermone latino, non solum ipsi inter se et intra Collegium, verum etiam quotiescunque cum aliis studiosis congregentur; qui secus fecerit, mulctetur.

Si quis fuerit blasphemus, ebriosus, discolus vel circa religionem suspectus vel qui a sacro aut lectionibus sese subtraxerit vel alio modo leges Universitatis violarit (nisi correctus vitam emendarit), dimittatur.

Tenantur confiteri singulis mensibus et sacrificium missae audire quotidie.

Servent diligenter preces suas quotidianas, hoc est psalmum Miserere. Die Veneris Lytanas. Die Sabbati Rosarium B. Virginis.

Illi, qui horum aliquid negligenter praetermitterent, sacro aut lectioni non interessent, eo die prandio aut coena vel utroque privabuntur.

Si aliqui eis libri ex eleemosyna R<sup>diassimi</sup> empti fuerint, utantur illis quidem, ita tamen, ut quoad fieri poterit, ipsos integros et incontaminatos custodiant; quos discessuri Rectori vel suo praefecto ad aliorum usum resignabunt.

Dum cibum capient, eorum quispiam aliquid, caeteris modeste auscultantibus, praelegat.

Priusquam mensae accumbent, lectiones iuxta ordinem classium repetant.

Sint modesti in communi illo hypocausto atque silentium, quoad fieri poterit, servent, ne unus alterum perturbet; qui hoc non observarit, ad unum aut plures etiam dies olla privabitur.

Rixas, detractiones vel verba iniuriosa ab ipsis volumus esse alienissima, is vero qui fraternam charitatem laeserit et socium huiusmodi iniuria affecerit, Rectoris censurae subiacebit.

Omnes in studiis summam diligentiam ponant, inprimis tamen ut Catechismum memoriae mandent, quae res faciet, ut eruditi et docti ad altiore conditionem promoveantur.

Praestabunt diligenter suam operam Rectori ac Gubernatori in iis, quae censuram spectant absentium studiosorum, iuxta ordinem classium; qui vero fuerit vel gratia studiosorum remissior aut negligentia tardior, olla privabitur.

Festis diebus quando templum simul adire debent, tempestive confluant et ordine ingrediantur et egrediantur cum superpellitiis; in ipso vero templo ut vestitu, sic modestia et devotione praelecebunt.

Qui canere norint vel quos praefectus cantus aptos existimabit ad canendum in templo, sese astrictos cognoscant.

Nullus ad ollam admittatur, nisi paratus sit his et Universitatis statutis parere.



Sciunt inter ipsos fore semper aliquem praefectum ex senioribus, cui in rebus controversis et aliis ad quietem et ordinem conservandum pertinentibus parere omnes teneantur. Rebelles mulctabuntur vel etiam excludentur.

Sciunt etiam censores inter ipsos fore, quos sub poenis gravibus nullus ratione huius officii verbo vel facto laedere praesumat.

#### Nr. 24.

*Bischof Heinrich bestätigt mit Zustimmung des Domkapitels die Übergabe der Universität an die Jesuiten (T. I, S. 77).*

1606 Juni 14. Augsburg.

Henricus Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Augustanus etc. Notum sit omnibus has praesentes literas nostras lecturis et inspecturis.

Cum pastoralis officii nostri a Deo nobis iniuncti debitum exposcat et nos admoneat, ut ea, quae a praedecessoribus nostris praeclare instituta, pie ordinata atque provide introducta sunt, quantum in nobis est, promoveamus; nec non sedulo curemus, nondum perfecta, si non in toto, ad desideratum saltem certum<sup>1</sup> finem et effectum suum reducere:

Adiicientes itaque animum ad Universitatem studii generalis sub invocatione S. Hieronymi nostri oppidi Dilingani a praedecessore nostro fel. rec. reverendissimo atque illustrissimo Principe ac Dño Dño Cardinale Ottone Truchses de Waldburg, Episcopo Augustano, ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicae fidei exaltationem et haeresum extirpationem atque animarum salutem piissime pariter ac laudatissime erectam, eiusdemque cura et sollicitudine tam a S. Pontifice Julio III., quam invictissimis Imperatoribus Carolo V. et Ferdinando confirmatam certisque privilegiis donatam, ut in moribus et doctrinis salutaribus plebs et iuventus christiana in ea informari posset; et perpendentes, quod haec primitus quidem per diversos undequaque accersitos Doctores et Professores administrata fuerit; postea vero praefatus D. Cardinalis suis motus rationibus illam viris religioni et docendae iuventuti in catholica pietate et eruditione totis deditis, qui de societate nominis Jesu Salvatoris nostri appellati sunt, regendam et providendam commiserit, illique iam diu et ultra quadraginta annorum spatium functionis susceptae pio zelo et admirabili prudentia et maxima diligentia praefuerint, magno sane cum fructu iuventutis et Ecclesiae non solum in nostra Dioecesi Augustana, sed etiam apud alios verae pietatis amantes populos, ut qui liberos suos rudes emissos brevi temporis curriculo tam moribus quam scientia meliores gratulabundi ex Universitate nostra Dilingana receperint; ubi tamen praefatae societatis Patribus huc usque de firma sede in oppido nostro Dilingano non sit prospectum.

Brevis  
historia  
Universi-  
tatis ab  
Ottone  
Cardinale  
fundatae.

<sup>1</sup> In dem gedruckten Text (Hist. Prov. S. J. Germ. Sup. III, 240) fehlt certum.

Insigne de  
Societatis  
virtute ac  
doctrina  
testimoni-  
um.

Certe nos merito exercuit sollicitudo, suasit aequitas et postulavit a nobis praesentis temporis calamitosissimi ac periculosissimi et rerum ita laudabiliter constitutarum conditio, ut tandem praefati D. Cardinalis tanquam primi institutoris, qui praeventus morte tum consensum Capituli super his habere, cum ob iniuriam temporum negotium propositum ad destinatum finem plene perducere non valuit, pio desiderio et voto nos conformaremus, et quantum modernus tam Ecclesiae quam Academiae nostrae status concedit, patribus societatis pro tantis sustentatis laboribus et innumeris in populum christianum, maxime vero subditos nostros collatis beneficiis, fundationem aliquam certam stabiliremus, praesertim quod hoc Ecclesiae nostrae non tantum perutile, sed multo magis necessarium futurum sit et nec praesenti calamitati ullo paratiori magisque salubri remedio possit subveniri, quam tales viros pios et in divinis scripturis exercitatos fovere et conservare.

Traditur  
habitatio  
(et assi-  
gnantur  
reditus.

Quapropter communicato consilio cum venerabilibus et honorabilibus Praeposito, Decano ac Capitulo Cathedralis Ecclesiae nostrae Augustanae et illorum expresso consensu ac voluntate, primo domum seu collegium a praefato D. Cardinale pro Patrum habitatione constructum, et in quo illi hactenus commorati fuere, una cum horto et templo B. Virginis adiuncto; nec non domum illam Academicam, quae ipsorum Collegio contigua est habetque prospectum in hortum illorum, in honorem Dei omnipotentis et ipsius sacrosanctae Ecclesiae incrementum totiusque populi christiani salutem et commodum societati nominis Jesu iure proprio et ab omnibus oneribus, sturis aliisque exactionibus ordinariis et extraordinariis libere imposterum possidendam ibique regulis suis approbatis et permanentibus, salvis exemptionibus et privilegiis a sede apostolica eidem concessis vivendum, donamus et tradimus, atque pro huius Collegii vera dotatione et fundatione, tam pro victu et amictu atque aliis ad religiosam sustentationem necessariis, quam servandis sartis tectis et comparandis suppellectilibus ultra illos redditus mille quadringentorum florenorum, quos praefatus D. Cardinalis, ex concordia cum Augustanis et Memingensibus, auctoritate, consensu et confirmatione apostolica et imperiali inita (prout in actis de hac concordia conscriptis latius et expressius habetur) Academiae ac Universitati nostrae praedictae applicavit, nec non aliorum quinquaginta florenorum a Cornelio Herlenio quondam praefatae Academiae gubernatore eidem testamento relictorum, quosque tenetur Episcopus Augustanus solvere propter emptionem a praefata Academia, partim cum D. Cardinale, praedecessore nostro, partim nobiscum et cum Capitulo nostrae Ecclesiae Augustanae factam (prout in specialibus litteris diversis cum sigillis dicti D. Cardinalis, nostro et Capituli praefati roboratis, de datis et annis MDLIV et MDLXX in festo S. Joannis Baptistae, item anno MDLXXI secunda Januarii, et eodem anno vigesima quinta Martii in dominica Laetare, et MDCVI decima quarta Junii latius continetur) adhuc alios mille quingentos quinquaginta florenos in his iam dicto Capitulo Ecclesiae nostrae manum auxiliatricem, pro bona parte ex pio zelo suo, praebente, et sic summatim tria millia

florenorum Rhenensium in moneta, computato quolibet floreno sexaginta cruciferis; singulis annis angariatim, tam diu incunctanter, integre et sine ulla detractioe per certum nostrum officialem ad hoc a nobis seu successoribus nostris constitutum aut constituendum exsolvenda assignamus, applicamus, incorporamus et appropriamus; donec illis reditus alii aequivalentis valoris et pretii ex certis bonis stabilibus a nobis vel successoribus nostris fuerint deputati, traditi et assignati eo fine, ut congruentem suorum numerum in Academia nostra alere possint, qui ratione studii universalis iuxta institutum ipsorum non solum litteras humaniores, linguas, artes et Philosophiam, sed Theologiam etiam, prout haecenus, profiteantur et doceant, quo studiosi ad honores in Theologia et Philosophia summos consequendos digne promoveri possint.

Porro quia nos non latet, templum B. Virginis esse valde angustum ac proinde ad functiones, quas societas ad proximi salutem exercere solet, minus idoneum, pollicemur ideo, intra decennium ipsis florenos quinquies mille Rhenenses in moneta daturos, vel pro hoc ampliando vel alio novo, nostro arbitrio, loco commodiori construendo.

Promittitur templum vel sumptus in eius aedificationem.

Praeterea confidentes de dictorum Patrum societatis industria, prudentia et sincera fidelitate, ipsis Academiae nostrae regimen et administrationem nomine, vice et auctoritate nostra demandamus et committimus perpetuo, secundum societatis Jesu institutum et regulas gubernandam, reservato tamen<sup>1</sup> nobis et successoribus nostris supremo iure, potestate et iurisdictione iuxta privilegia ratione Academiae a praefatis Pontifice et Imperatoribus data et in Ecclesiam nostram in omnem perpetuitatem translata.

Traditur in perpetuum societatis curae Academia.

Rector itaque Academiae nostrae sit aliquis de societate Jesu, ille ipse nimirum, qui secundum leges et consuetudinem eius fuerit designatus Rector collegii, qui post nos primam in Academia auctoritatem, universalem curam vel superintendentiam et gubernationem quoad directionem in studiis et moribus, nec non etiam potestatem habeat iuxta consuetudinem societatis corrigere<sup>2</sup> scholasticos cunctos, et si quidam discolor ac perturbatores aliorum essent, a scholis et ipsa Universitate similes delinquentes eiicere, imo ubi expedire iudicaverit, huiusmodi etiam ex civitate expelli<sup>3</sup>; ad eius requisitionem illud gubernator noster mediantibus ministris nostris exsequatur.

Quis sit rector et quae eius iura.

Rector item cancellarium sacerdotem unum de societate constituat, qui ipsum iuvet in promovendis litterarum studiis et nostro nomine et auctoritate licentiam ad doctoratus et ad magisterii aliosque gradus suscipiendos conferat.

Porro reliquos officiales et ministros omnes tam academicos quam in convictu degentes recipere et amovere poterit, qui gaudebunt omnibus privilegiis academicis eruntque Rectoris potestati tam quoad disciplinam et directionem, quam quoad oeconomiam subiecti.

<sup>1</sup> Der gedruckte Text hat nach tamen noch semper, im Original steht es nicht.

<sup>2</sup> In dem gedruckten Text steht sprachlich richtiger corrigendi — eiiciendi.

<sup>3</sup> Der gedruckte Text: expellendos (sic).

Jurisdictionem civilem etc. exercet gubernator a rectore praesentatus.

Quia vero Patres societatis ob institutum suum et tanquam religiosi iurisdictionem civilem contentiosam et criminalem non exercere solent, ideo ex nostra perpetua commissione sit aliquis gubernator nuncupatus, nostris et nostrorum successorum expensis, vir honoratus, gravis, prudens, iurisperitus, unus ex nostris consiliariis, qui talem exerceat in omnes studiosos et alios academicos ministros<sup>1</sup>. Cuius Rector quidem habebit nominationem et praesentationem, nobis autem pro arbitrato nostro eiusdem amotione reservata. Et hic cum primum gubernatoris officium susceperit, tenebitur nobis vel successoribus nostris, praemissa fidei professione, iuramentum praestare, quod privilegia Academiae tueri velit pro viribus et iurisdictionem sibi in studiosos commissam integre iuxta privilegia academica administrare. Rectori item honorem is et reverentiam semper debitam exhibeat atque, causis mere criminalibus exceptis, alia negotia ad tribunal suum pertinentia consilio ac praescitu Rectoris pertractet.

Assignantur sumptus pro fabrica, comedia, praemiis etc.

Praeterea pro fabrica praefatae Academiae et officialium academicorum annuis salariis, distribuendis praemiis, faciendis theatris, instituendis comediis nec non aliis expensis ultra octingentos florenos, quos Joannes Marius pro tempore typographus Dilinganus Universitati nostrae debet, et praefati Patres ad libitum, salvo semper capitali, uti poterunt: item multas studiosis impositas aliosque proventus ordinarios et extraordinarios a supra dicto officiali nostro recipient trecentos florenos Rhenensis monetae annuatim, eosque pro discretione et arbitrato suo in utilitatem Academiae nostrae expendant.

Traditur regimen et cura convictus.

Convictorium deinde nostrum tum pro seminario Ecclesiae nostrae Augustanae cum aliis religiosis, clericis et omnis status secularibus institutum, cui iam alias praesunt, posthac etiam semper habebunt nomine et auctoritate nostra regendum, gubernandum et providendum iuxta suum institutum, tam quoad disciplinam, quam oeconomiam. Quod quidem convictorium ab omnibus exactionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, uti hactenus, liberum et exemptum permaneat.

Alia privilegia in commodum oeconomiae.

Ceterum ad rei familiaris commodiorem usum permittetur societati tam pro collegio suo, quam pro convictu, ne sint obligati ad stateram communem civitatis Dilinganae, sed propriam, conformem tamen eiusdem civitatis habere; sic etiam proprium lanionem et piscatorem conducere eis liceat, qui tamen extra officium suum in reliquis maneant sub onere civico, et poterit quoque convictorii lanio pecora pro collegii usu comparata ad communia pascua mittere.

A praefatis itaque Patribus societatis magnopere efflagitamus ac volumus, ut pro ea fiducia, quam in ipsis ponimus, diligenter operam dent, ut haec fundatio et ordinatio nostra futuris temporibus salva permanere possit. Et Deus ter Optimus Maximus, in cuius honorem praecise haec omnia instituta sunt, pro sua immensa bonitate hanc foundationem et ordinationem illaesam conservare dignetur.

<sup>1</sup> Der gedruckte Text setzt hier noch potestatem.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes has litteras fieri et nostro sigillo communiri curavimus.

Et nos Vitus Baro a Rechberg de Hohenrechberg Praepositus, Joannes Hieronymus Stor ab Ostrach Decanus totumque Capitulum Cathedralis Ecclesiae Augustensis in fidem et signum expressi et legitimi nostri consensus, voluntatis et ratihabitionis, quoad omnia ac singula, his litteris etiam nostrum sigillum appendi curavimus. Acta sunt haec 14. die mensis Junii, anno post Christum natum millesimo sexcentesimo sexto.

Henricus Episcopus

Augustanus.

Auscultatae in Capitulo.

Sebastianus Breuning,

Suffraganeus et Canonicus, m. propria.

Orig. auf Perg. im Allg. Reichs-Archiv zu München (T. I, S. 77).

### Nr. 25.

*Verordnungen des Provinzials P. Melchior Hartel im Oktober 1612*  
(T. I, S. 184. 187).

(Act. Univ. I, 225.)

1. Quae alias pro hoc loco<sup>1</sup> constituta et nondum in praxin inducta sunt, expedit eorum memoriam legendo coram consultoribus renovare, quo promptior sit executio.

2. Ne tempus antemeridianum, quod graduandorum examini tribuitur, absque lectione et otiose transmittant, visum est Patribus, ut, quando examinantur Logici, tum ab hora nona ad decimam quotidie doceat Mathematicus, Ethicus vero, dum Metaphysicorum durat examen.

3. Quando dubium esse potest de recreatione hebdomadaria aut hora lectionum, pridie praefecti erit semper praemonere, ne cum multorum molestia et animorum suspensione opus sit inquirere, quid futurum. Extraordinariae autem recreationes, quae praeter temporis iacturam iuventuti magnopere incommodare perhibentur, non facile etiam importune petentibus concedantur.

4. Quoniam statuta Academica honestum habitum omnibus praescribunt, adnitendum est serio, ut iis se conforment studiosi. Et quia experientia docet, nimiam esse vestium novitatem et reliqui corporis ornatus vanitatem, eaque in re magis ac magis apparent excessus; idcirco iudicarunt Patres efficacem adhibendum remedium, cuiusmodi esse videbatur, ut publico decreto luxus vestium caveatur et quaedam speciatim abrogentur, adiecta in transgressores poena. Hactenus R. P. Provincialis Melchior Hartelius, anno 1612 in Octobri.

<sup>1</sup> Dillingen.

## Nr. 26.

*Die ersten Statuten des bischöflichen Alumnats 1614 (T. I, S. 451).*

Leges alumnorum S. Udalrici <sup>1</sup>.

## I.

Domi omnia agant ex ordine praescripto. Mane ordinarie surgant una parte ante 5<sup>am</sup>, idque cum silentio, modestia et honestate; dum vestiuntur, tacite se Deo commendantes. Dato signo ad communes preces conveniant, iis simul genuflexi tribuant unum quadrantem horae; inde eant ad sacrum cum aliis studiosis religiose audiendum, cui omnes inservire teneantur et in ritibus ecclesiasticis se exercere, prout et quando a Rectore fuerit praescriptum.

## II.

Circa tempus studiorum, mensae, recreationis ordinariae idem, quoad fieri potest, servent cum victoribus collegii Divi Hieronymi. A scholis rebusque divinis nemo abesse potest, cui prius a Reverendo P. Regente facultas concessa non sit. Et cum ad Academiam eundum est, eant simul associati, bini et bini, modeste et tempestive.

## III.

Sacramenta confessionis et communionis obeant religiose, quoties id imperatur legibus Academiae et congregationis B. M. V., cui omnes adscripti esse debent, antequam ad Seminarium admittantur.

## IV.

Vespere antequam cubitum eant, unam horae partem impendant examini conscientiae et precibus, in quibus erunt Lytaniae B. M. V., quas quotidie simul clara voce uno praeunte recitare tenentur pro Seminarii institutore et illius benefactoribus tam vivis quam defunctis, pro quibus etiam singulis quot hebdomadis dicent unum rosarium eiusdem Divae Virginis et quot annis dominica in albis, quo die instituti Seminarii recurrit memoria annua, audiant pro iisdem unum sacrum extraordinarium atque sub eodem praemissa confessione percipient sacram Eucharistiam.

## V.

Domi semper latine loquantur atque de iis rebus, quae neminem offendere et tam ipsis quam aliis fructum afferre possint. Unde a iuramentis, blasphemis, irrisionibus, rixis, verbis minus honestis prorsus abstineant. Tempore recreationis frequenter se exercent in musica, quam ab ingressu in alumnatum quisque discere debet intra medium annum sub poena dimissionis. Nullo unquam tempore, sive domi sive foris, operam

<sup>1</sup> Am Rande die Bemerkung: Cum adhuc in urbe viverent.

dent ludis a Superioribus non expresse approbatis. Diebus profestis, Veneris et Sabbati post coenam vel collationem vespertinam instituant ex praescripto P. Directoris colloquia spiritualia.

## VI.

Ex domo (collegio) nemo egrediatur absque facultate Praefecti (Regentis), cui etiam significabunt, quo et cuius rei gratia egredi cupiunt, et tempore ab eodem praefixo domum redeant. Et extra domum (collegium) nullus dormiat, prandium aut coenam sumat sine permissu P. Praefecti. Tempore studiorum suo quique loco maneant, litteris diligenter intenti cum silentio et quiete, ne quis alium molestat.

## VII.

Deambulatum eant omnes simul comitante Praefecto, diebus recreationum atque aliis, quando facultas est, nec quisquam domi remaneat non obtenta venia, memores ubique modestiae, honestatis ac decori. Neminem externorum introducant in loca, ubi habitant, nullus gladium, pugionem aut aliud genus armorum apud se habeat, sed illa P. Regenti asservanda tradat.

Quodsi his legibus successu temporis et pro re nata aliquid addendum vel demendum videretur, providebit Rector, ut id fiat cum commodo Seminarii et promotione boni communis.

Omnia ad maiorem Dei gloriam.

## Nr. 27.

*Abgangszeugnis für einen Theologen 1615 (T. I, S. 244).*

(Lib. testim. I, 31.)

Commune theologis.

In nomine Domini Jesu Christi.

Amen.

Christophorus Grenzing, SS. Theologiae Doctor, Academiae Dilinganae et Collegii Societatis Jesu Rector, omnibus et singulis Christifidelibus praesentes nostras litteras lecturis seu legi audituris salutem in Domino sempiternam. Etsi sua cuiusque virtus momenti satis habeat ad conciliandam bonorum gratiam, cum nihil sit ea amabilius, nihil ad comparandam benevolentiam efficacius, tamen non parum interest ad tuendam veram nominis dignitatem ac ingenii laudem retinendam, quam omnes de unoquoque virtutis habeant opinionem, eam etiam in litteris ac testimoniis publicis comprobare eandemque omnium hominum memoriae commendare. Idecirco cum M. N. N. Dilinganus Dilingam nostram relicturus testimonium a nobis requireret, tam vitae nobiscum actae, quam operae a se litteris

ac scientiis navatae et promeritorum insignium seu graduum scholasticorum, nequivimus iustitiae et charitatis oblivisci. Quare pro merito suo et debito nostro hoc ei testimonium concessimus, quo bona fide omnibus et singulis contestatum cupimus, praefatum Magistrum iuxta Academiae nostrae morem studiosorum albo adscriptum esse; post humaniora insuper studia sexennio absoluta Philosophiae ita studuisse, ut dignus habitus sit, qui insignia Magisterii artium liberalium ac Philosophiae reportaret; ad haec a suscepto gradu Magisterii SS. Theologiae scholasticae anno et quatuor mensibus operam navasse. Quapropter aequum est, ut omnibus privilegiis, immunitatibus, favoribus ac gratiis fruatur et gaudeat, quas vel nostrae vel aliarum universitatum Philosophiae Magistris constat esse concessas ac deferendas. Ideoque ab omnibus et singulis, ad quos forte praenominatus Magister deventurus est, petimus et rogamus, ut eum talem, hac nostra testificatione freti, habeant, qualem nos esse testamur, ipsumque suo favore et benevolentia complectantur singulari. Quo autem maior et certior fides nostris adhibeatur dictis, primum Notarii nostri iurati subscriptione, deinde Universitatis nostrae sigillo maiori litteras has communiri curavimus. Datae Dilingae anno a partu Virgineo MDCXV die nono mensis Februarii.

#### Nr. 28.

*Abgangszeugnis für einen Philosophen u. s. w. c. 1615*  
(T. I, S. 244).

(Lib. testim. I, 69.)

#### Pro Philosophis, Rhetoribus, Humanistis caeterisque ordinarium et commune.

Universis ac singulis, quibus hae litterae reddentur, Christophorus Grenzing, SS. Theologiae doctor, Academiae Dilinganae et Collegii Soc. Jesu Rector, salutem in Domino sempiternam. Cum honestus adolescens N. discessurus a nobis tam vitae quam studiorum suorum testimonium expeteret, nolumus id ei denegare, quod ex officio pro veritate comprobanda debemus. Quamobrem has ei concessimus litteras, quibus bona fide omnibus et singulis testatum cupimus, praedictum adolescentem iuxta Academiae nostrae morem studiosorum albo adscriptum esse, humanitati insuper annum unum diligentem operam impendisse. Praeterea honeste, probe et pie nobiscum hic vixisse. Quapropter aequum est, ut omnibus privilegiis et immunitatibus fruatur et gaudeat, quibus tam nostrae quam aliarum universitatum studiosi fruuntur et gaudent. Ideoque ab omnibus et singulis, ad quos forte praefatus N. devenerit, petimus, ut eum hoc nostro freti testimonio habeant talem, qualem nos esse testamur, ipsumque suo favore ac auxilio prosequantur singulari. Nos vicissim omne studium omnemque benevolentiam iis pollicemur, quos nobis commendari continget. In quorum fidem litteras has a Notario nostro iurato subscribi et minori Universitatis nostrae sigillo communiri curavimus. Dilingae etc.



## Nr. 29.

*Wirkungskreis des Vizekanzlers, Studienpräfekten und Praefectus atrii nach der Bestimmung des Provinzials P. Christoph Grenzing bei der Visitation im Jahre 1620 (T. I, S. 130).*

(Act. Univ. I, 277 sq.)

Distinctio officiorum inter P. V. C., Praefectum studiorum et atrii sub idem tempus facta. P. V. C. erit 1<sup>mo</sup> pro gradu Magisterii conferre licentiam, 2<sup>do</sup> dirigere disputationes, quae pro gradu habentur, easque theses et orationes censere, 3<sup>o</sup> et quia in consultatione non fuit facta mentio historiae Academiae, quae utique magni momenti est, ideo posset eius curam, ut hactenus, habere V. C.

Praefecti studiorum erit habere post Rectorem proximam superintendentiam super studiosos omnes tam quoad studia quam quoad mores. Diriget ipse omnes disputationes, approbabit omnes theses, orationes, carmina. Curabit, ut asserventur de singulis exempla. Curam supremam habebit typographiae. Testimonia studiosis Theologiae et Philosophiae ipse dabit, auditis tamen praeceptoribus; aliunde advenientes ad superiores scholas admitti petentes ipse examinabit. Praeceptores etiam inferiorum scholarum directionem omnem quoad studia et exercitia scholastica ab ipso accipient. Ipse habebit curam rationum accepti et expensi academici.

P. Praefectus atrii habebit potissimum curam morum modestiae; exequetur, quae a superiori Praefecto ipsi commendabuntur; pecuniae expensae et acceptae rationem ipsi dabit. Testimonia pro inferioribus non dabit nisi consultis praeceptoribus.

## Nr. 30.

*Kaiser Ferdinand III. nimmt die Universität Dillingen in seinen und des Reiches Schutz und bestätigt ihre Privilegien (T. I, S. 83).*

1641 September 20. Regensburg.

Ferdinandus III., divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Lucemburgiae, Wirtenbergiae ac superioris et inferioris Silesiae, Princeps Sueviae, Marchio S. R. I. Burgoviae, Moraviae ac superioris et inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi, Tirolis, Ferreti, Kiburgi et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum etc.

Quae iam olim a Maioribus et Praedecessoribus nostris laudabiliter constituta concessaque sunt, ea nos quoque pari benevolentia et patrocinio complecti et Imperiali auctoritate nostra denuo confirmare tanto iustius est, quanto inde plus utilitatis in Rempublicam et catholicam praecipue religionem redundare compertum est. Quam uberes vero fructus ad ortho-

doxae fidei conservationem et exaltationem Romanique Imperii bonum protulerit Universitas sive studium generale, quod superiori saeculo Otho S. R. Ecclesiae Cardinalis Truchsessius et Episcopus Augustanus in oppido Dilingae creavit, manifestis nobis demonstratum est argumentis.

Erudivit enim Academia, posteaquam praesertim eius cura et gubernatio Patribus Societatis Jesu commendata est, viros in omni scientiarum genere, Theologia imprimis praestantissimos, sacra coenobia hominibus religiosis ad primaeva instituta formatis implevit, iisdem coenobiis antistites, innumeris ecclesiis pastores, episcopatibus pontifices, Reipublicae et curiis consiliarios, senatores, magistratus, Imperio Romano principes, quorum hodieque plures vivunt, saluberrima institutione formavit semperque morum ac virtutum disciplinam cum bonarum artium scientiarumque cultura ita coniunxit, ut sapientes rerum aestimatores hanc Academiam christianae iuventuti ad Ecclesiae iuxta ac Reipublicae usum educandae instituendaeque maxime accommodatam existiment.

Quam ob causam dictae Universitatis Dilinganae conservationem et incrementum boni publici studio desiderantes; ad haec vestigiis gloriosissimorum Imperatorum Maiorum nostrorum felicissimae recordationis insistentes, ex certa scientia et de Imperialis potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, gratias, praerogativas, favores ac indulta, quae sanctissimus Dominus Julius III., Pontifex maximus felicitatis recordationis, in Bulla erectionis (quae incipit: Copiosus in misericordia Dominus etc., data Romae apud S. Petrum octavo Idus Aprilis Pontificatus eiusdem Julii III. anno secundo) praefatae Universitati ad instar Bononiensis et Parisiensis ac aliarum tam Italiae et Galliae, quam Germaniae universitatum pariformiter concessit quaeque gloriosissimi Imperatores Carolus V. et Ferdinandus I., proavi nostri, quorum memoria in benedictione est, non solum confirmaverunt, approbaverunt et ratificaverunt, sed etiam de novo concesserunt, indulserunt et elargiti sunt, quorum tenores sequuntur in haec verba typis expressa. . . . .

Nos quoque pari Imperiali auctoritate ac potestate non solum confirmamus, approbamus, ratificamus, verum etiam de novo concedimus, indulgemus et elargimur simulque dictam Universitatem Dilinganam cum omnibus iuribus, privilegiis, pertinentiis, prout eandem, reservato sibi suisque successoribus supremo iure ac dominio, dilectus Princeps noster Henricus modernus Episcopus Augustanus accedente Capituli sui consensu, Patribus Societatis Jesu in perpetuum gubernandam tradidit anno Domini millesimo sexcentesimo sexto, in peculiarem nostram et Imperii Romani protectionem ac tutelam accipimus. Non obstantibus in praemissis aliqua lege, constitutione, decreto, statuto, consuetudine, caeterisque in contrarium facientibus quibuscunque, prout ea honoratissimi quoque Praecessores nostri obstare noluerunt. Innovamus quoque poenam adversus Imperialis huius confirmationis et concessionis violatores ab iisdem latam, ut videlicet quinquaginta marchas auri puri fisco nostro ac parti laesae, toties quoties

contra fecerint, irremissibiliter persolvant, harum testimonio litterarum, sigilli nostri Caesarei appensione munitarum. Datum in nostra Imperiali civitate Ratisbona die vigesima Septemb. anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, regnorum nostrorum, Romani quinto, Hungarici decimo sexto, Bohemici decimo quarto.

Ferdinandus.

Ut:

Ferdinandus comes

Curtius.

Joan. Walderode.

Orig. auf Perg. im Allg. Reichs-Archiv zu München (T. I, S. 83).

### Nr. 31.

*Lektionsplan für 1651/1652 (T. I, S. 200. 259).*

(Universitätsbibliothek Jena.)

#### Catalogus Librorum,

ad quorum explicationem Professores Societatis Jesu aggredientur ad festum S. Lucae, Anno Domini MDCLI et MDCLII.

#### In Rhetorica.

M. Tullii Ciceronis de Oratore lib. tres.

Eiusdem Orationum volumen I.

C. Julius Caesar de bello civili.

Publ. Virgilii Georgica omisso lib. tertio.

Xenophon de vita Cyri.

Homeri Ilias, cum Epigramm. Graecis select.

Jacobi Gretseri Prosodia Graeca.

#### In Humanitate.

M. Tullii Ciceronis Tuscul. Quaest. lib. II et III.

Eiusdem pro Archia Poëta.

Cypriani Soarii Rhetorica.

Aemilius Probus.

Publ. Virgilii Aeneidos lib. VI et VII.

Q. Horatii Flacci Epistolae.

Isocrates ad Nicoclem.

Jacobi Gretseri Syntaxis Graeca.

#### In suprema Schola Grammatices.

M. Tullii Ciceronis Epist. ad Famil. lib. VII et VIII.

Eiusdem Laelius sive de amicitia.

Emmanuelis Alvari Syntaxis plenior.

Eiusdem Prosodia et Figurae.

P. Ovidii de Tristib. lib. IV et V.

Jacobi Pontani Progymnasmatum volumen II.

Aesopi fabulae selectae.

Jacobi Gretseri Grammatica Graeca.

## In secunda Schola Grammatices.

- M. Tullii Ciceronis Epist. ad Famil. lib. XI.  
 Emmanuelis Alvari Syntaxis.  
 Jacobi Pontani Progymnasmatum volumen I.  
 Catechismus Graecus.  
 Jacobi Gretseri Rudimenta Graeca.

## In tertia Schola Grammatices.

- M. Tullii Ciceronis Epist. selectarum lib. IV.  
 Emmanuelis Alvari lib. I. Grammat. Institut. cum introduct. Syntaxeos.  
 Jacobi Pontani Progymnasmatum selectorum liber II.  
 Ex Rudimentis Jacobi Gretseri Declinationes et Verba Barytona.

## In infima Schola Grammatices.

- M. Tullii Ciceronis Epist. selectarum lib. I.  
 Emmanuelis Alvari Rudimenta.  
 Jacobi Pontani Progymnasmatum selectorum lib. I.  
 Elementa linguae Graecae.

Ad quotidianas et usitatas Magistrorum explicationes accedent repetitiones, scriptiones, disputationes, declamationes publicae et privatae exercitationes, quibus discipulorum excitetur et acuatur industria. Diebus autem Sabbati Evangelium latinum in scholis inferioribus; in suprema vero classe Grammatices et Humanitate graecum; in Rhetorica Acta Apostolorum vel Panegyrici S. Chrysostomi exponentur. Diebus Veneris in Rhetorica et Humanitate doctrina Christiana e maiore catechismo Petri Canisii, in reliquis e minore eiusdem, pro cuiusque scholae captu, tradetur. In Humanitate diebus recreationum per annum epigrammata Martialis explanabuntur.

*Dilingae, Typis Academicis.*

## Nr. 32.

*Statuten für die Kostherren. 1661. (T. I, S. 345.)*

## Statuta academica.

So den Kostherren und Kostfrauen zu wissen.

1. Nach erster Ausrufung der nächstlichen Stunden wird kein Student ohne Recht aus dem Haus gehn, derothalben die Kosthäuser alsdann fleißig sollen versperrt werden.

2. Das Nachteffen soll nit vor sechs Uhr abends genossen werden, ausgenommen die Feyr- und Recreation-Täg, an welchen das Mahl eine halbe Stund zuvor eingenommen wird.

3. Keinem Studenten soll ohne austrückliche Bewilligung der Eltern über einen Gulden monatlich extra geborgt werden.

4. So ist auch keinem Studenten erlaubt, einiges Zihl- oder Bürschroh zu brauchen, einigen Hund zu erhalten, oder Taback zu trinken, um mercklichen und vielfältigen Schaden dardurch zu verhüten.

5. Kein Student soll die Kost ändern ohne Vorwissen P. Praefecti Academiae.

Werden also hiemit alle Kostherren und Kostfrauen freundlich ersucht, sie wöllen bei obgenannten Stücken ihres Theils auch nichts ermanglen lassen, damit durch gesamtten Fleiß die gewünschte academische Disciplin je mehr und mehr befördert werde.

Alles zur größern Ehr Gottes.

Getruet zu Dillingen 1661.

### Nr. 33.

*Akademische Statuten. 1670. (T. I, S. 344.)*

**Statuta omnibus studiosis in universitate Dilingana observanda.**

#### I.

Qui Dilingam studiorum causa accedunt, sciant, Deo iuvante non minus curatum iri pro viribus, ut pietate ceterisque virtutibus, quam ut ingenius artibus imbuantur. Inprimis igitur sistant illi sese quamprimum Rectori Magnifico vel eius hac in parte locum tenenti Patri Praefecto, priusquam in album Academicum ab Inscriptore referantur, polliceanturque se legibus universitatis huius obtemperaturos et eiusdem Superioribus debitam obaedientiam et observantiam praestituros paratosque corrigi, ubi deliquerint. — *In prooemio Statutorum Cardinalis et in Reg. 1. Studiosorum externorum Societatis.*

#### II.

Omni die ad sacrum audiendum hora et loco constitutis conveniant, precibus item vespertinis, concioni aliisque ad pietatem pertinentibus, quae ibidem instituentur, qua decet modestia et religione intersint. — *In stat. Card. Tit. de pietate et Reg. 3. Stud.*

#### III.

Sincerum animum purumque servare ac divinis legibus summa diligentia obtemperare nitantur; unde singulis saltem mensibus omnes poenitentiae sacramento se expient et SS. Eucharistia minimum septies in anno reficiantur, nempe prima die dominica Quadragesimae, deinde Natalis et Coenae Domini, Pentecostes, SS. Petri et Pauli Apostolorum, Assumptionis B. Virginis et omnium Sanctorum festo. — *In stat. Card. Tit. de confessione. Reg. 3., 4. et 14. Stud.*

#### IV.

Deo, Sanctissimae Virgini Matri ceterisque Sanctis persaepe atque ex animo se commendent. Angelorum opem, praecipue custodis quisque sui implorent. Eos libros, quibus doctrina morum ac pietas traditur, frequenter ac attente legant. Explicationi catechismi iis in scholis, ubi tradi

solet, diligenter intersint, et quae in eadem addiscenda praescribuntur, accurate addiscant. — *Stat. Card. Tit. de catechismo. Reg. 4. et 14. Stud.*

## V.

Libros haereticos, impuros, magicos aliosque malae notae ne habeant, vel si habuerint, eos inprimis in poenam amittant et praeterea pro arbitratu Rectoris Magnifici puniantur; dubios Magistros suis inspiciendos offerant; ab inutilibus quoque legendis abstineant. — *Stat. Card. Tit. de libris. Reg. 12. Stud.*

## VI.

Omnes suis quisque Magistris obtemperent eosque, qui ipsis post examen assignati fuerint, audiant; traditam ab iisdem studendi ac repetendi rationem tum domi, tum in scholis quam diligentissime servent. Neque a scholis absint sine Superiorum consensu. — *Stat. Card. Tit. de studiis. Reg. 2. et 8. Stud.*

## VII.

Serio animum ad studia et constanter adiciant; sint in scholis mature frequentandis assidui, in audiendis et recolendis praelectionibus ceterisque obeundis exercitationibus diligentes. Quod si quid minus assequantur aut si quid dubitent, Magistrum consulant. — *Reg. 9. Stud.*

## VIII.

Domi forisque magnam modestiam servent, paci et concordiae christinae magnopere studeant, cum suis hospitibus et tota familia tam honeste se gerant, ut nullam eis praebeant iuste conquerendi occasionem. In rebus denique et actionibus omnibus ita se gerant, ut facile quivis intelligat, eos non minus virtutum vitaeque integritatis quam litterarum ac scientiarum esse studiosos. — *Stat. Card. Tit. de servando decoro. Reg. 15. Stud.*

## IX.

Pudicitiam et sobrietatem, in quibus prima honestatis fundamenta iaciantur, omnibus vel maxime commendata esse volumus. Ac proinde nemini liceat, domum inhabitare, in qua femina sit suspectae pudicitiae, vel locum accedere, qui publice male audiat, et multo minus eiusmodi feminam in domum suam introducere. — *Stat. Card. Tit. de honestate morum, Tit. de pudicitia. Reg. 6. Stud.*

## X.

Conventicula muliercularum nec diurna nec nocturna adeant. Dein diligenter abstineant ab omnibus locis, quae pro temporis ratione ac rerum statu ipsis fuerint interdicta. Prava quoque et suspecta consortia fugiant; cum iis tantummodo versentur, quorum exemplo et consuetudine in studio litterarum ac virtutum proficiant. — *Stat. Card. Tit. de servando decoro. Reg. 6. et 11. Stud.*

## XI.

Nullus Danubio vel alteri fluvio se lavandī vel natandī causa committat. Nemo cauponam bibendi gratia ingrediatur, multo vero minus in ea habitet neve usquam alibi comotationibus vacet. — *Stat. Card. Tit. de vitandis discursationibus, item Tit. de sobrietate. Reg. 6. Stud.*

## XII.

Nemo studiosorum incedat armatus pugione, gladio, bombardā vel alio quovis teli aut armorum genere. Personati aut cum musicis instrumentis per urbem ne ingrediantur neque vel in curia vel alibi gladiatoris aut saltatoris ludis dent operam. — *Stat. Card. Tit. de armis non gestandis et Tit. de servando decoro. Reg. 5. et 6. Stud.*

## XIII.

Abstineant omnino a iureiurando, a contumeliis, convitiis, iniuriis, detractionibus, mendaciis, a verbis ac gestibus obscenis seu scurrilibus, a pugnis ac rixis atque ab omni alea et ludis vetitis, a locis etiam noxiis vel a P. Praefecto nominatim prohibitis, denique a rebus omnibus, quae morum honestati adversantur. — *Stat. Card. Tit. de retinenda pace. Reg. 6. Stud.*

## XIV.

Cum primum nocturnus vigil horam proclamaverit, nemo foris esto. Aut si aliquando iusta causa occurrat, non sine lumine et societate honesta incedatur, tamen sine armis et absque clamore. — *Stat. Card. Tit. de vitandis discursationibus.*

## XV.

Vestitus totiusque corporis habitus sit honestus et moderatus, qui studiosos a profano vulgo secernat; in quo nullus luxus, nihil vanae novitatis, nihil superbum, nihil alienum a decoro, nihil sumtuosius quam pro conditione cuiusque appareat. Ordinibus sacris initiati vel ad ministeria Ecclesiastica iam deputati vestem clericalem ferant. Reliqui vero honeste palliati incedant et non gladiati. — *Stat. Card. Tit. de vestibus.*

## XVI.

Hospitium nemo prius mutet aut Dilinga discedat, quam hospiti aliisque creditoribus fecerit satis. Aes autem alienum extra urgentem necessitatem et absque eorum, a quibus alitur, consensu et voluntate contrahere nemini liceat. — *Stat. Card. Tit. de domicilio et sumtu.*

## XVII.

Quicumque haec statuta violaverint aliisve modis contra bonos mores peccaverint, pro delicti ratione mulctabuntur poena carceris aut alia iudicio Superiorum. — *Stat. Card. Tit. de statutorum observatione. Reg. 7. Stud.*

## XVIII.

Qui frequenter absunt poenasque leviores et admonitiones nihili pendunt, aut si qui etiam gravius deliquerint, testimonium ab Academia nullum impetrabunt. Rebelles, aut a quibus emendatio non speratur, a studiosorum coetu exterminabuntur. — *Stat. Card. Tit. de statutorum observatione. Reg. 7. Stud.*

Dilingae. Formis Academicis. Apud Joannem Federle. Anno MDCLXX.

## Nr. 34.

*Statuten des Konvikts aus dem 18. Jahrhundert (T. I, S. 406).*

**Leges et Statuta Collegii S. Hieronymi Dilingae,  
quae ab omnibus admissis observari debent.**

Circa pietatem.

## I.

Postquam mane surrexerint, quartam horae partem orationi impendent, vesperi autem antequam cubitum eant, quartam item horae partem in examine conscientiae et precibus insumant, et tam post examen vespertinum quam matutinam orationem omnes silentium servant, brevibus interim orationibus Deo sese commendantes vel utile secum repetentes; cubent vero singuli separatis lectis cum linea interula et decenter cooperti.

## II.

Singulis diebus Missae sacrificio omnes, qua decet devotione, hora et loco constitutis intersint; conciones, exhortationes et alia divina officia, cum vel in Collegio vel in Templo certis diebus habentur, reverenter et attente audiant. Post prandium ad Litanias Lauretanas in Sacello ex voto ob incendium mirabiliter ope S. Stanislai restinctum recitari solitas omnes diligenter conveniant.

## III.

Singulis saltem mensibus ad sacramentum confessionis bene parati et praescripto die mature accedant sacramque Eucharistiam celebrantibus minimum festis reverenter sumant.

## IV.

Habeant Rosarium B. V. et pios libellos, quibus certis horis ex confessarii et superiorum iudicio praesertim festis diebus religiose utantur et se ipsos ad omne virtutum genus excitent.

Circa studia.

## I.

Quod ad studiorum rationem et litterarias exercitationes pertinet, nemo suum sensum et voluntatem sequatur, sed potius superiorum iudicio



se gubernari patiat; et ideo nemo libros habeat, qui a superiore non probentur prius et non censeantur utiles studiis et pietati comparandae.

## II.

Nemo a scholis, repetitionibus, disputationibus etiam domesticis absit sine necessitate et superioris obtenta facultate. Omnibus autem summo opere commendatur, ut excepto recreationis tempore latine loquantur.

## III.

Horarum distributionem tam circa studia, quam circa res omnes alias secundum Collegii consuetudinem diligenter observent.

## Circa domesticam disciplinam.

## I.

Nulli liceat gladios apud se habere, pugiones, bombardas aut alia quaevis arma, sed ea P. Regens servabit, quamdiu in Collegio morabuntur.

## II.

Tempore studiorum per Collegium ne vagentur, nisi quid brevis necessitas postulare, sed quietus et in silentio quisque in suo hypocausto et loco maneat.

## III.

Domesticorum ministrorum officinas, ut ianitoris, coci, pistoris, praxatoris, scriniarii etc., non adeant neque ab illis quidquam accipiant aut confici curent, nisi prius obtenta facultate.

## IV.

Nemo ex Collegio sine facultate egrediatur; redeat autem hora praescripta; neque ullus extra Collegium prandium aut coenam sumat aut pernoctet; si quis vero extra illud sine expressa facultate pernoctaret, ex Collegio erit dimittendus.

## V.

Quando deambulandi gratia foras egrediuntur, modestiae memores sint, maxime cum per plateas incedunt, atque cum suis Praefectis exeant et redeant neque extra eorum conspectum discedant.

## VI.

Eo tempore, quod animorum et corporum relaxationi conceditur, nihil agant immodeste aut leve; neque in area ludant, si in Academia collegia habentur nec diebus festis ante prandium.

## VII.

Libros, vestes seu quidvis aliud nemo cuiquam sive domestico sive externo vendat, donet vel ab eo accipiat, emat aut cum eo permutet sine facultate P. Regentis.

## VIII.

Usum tabaci per fistulam hauriendi ob incendii periculum aliasque graves causas et incommoda sub gravi poena penitus interdictum sciant; similiter omnem lusum pro maiori pretio.

## IX.

Haustum pomeridianum si qui facere volent, in refectorio faciant neque ultra praescriptum tempus apud eundem se detineant. Externos vero sine facultate non invitent aut ad sua cubicula vel triclinium adducant, multo minus computationes cum illis instituant, memores, se ad Convictum studiorum causa, non ad hospitium ob computationem missos esse. Insuper ex urbe nec esculenta nec poculenta sine licentia per quoscunque afferri curent.

## X.

Superiores et Praefectos observent et eos modeste alloquantur. Ipsi vero inter se non sint litigiosi vel acerbi aut inurbani neque nimis familiares, sed pacem atque animorum coniunctionem conservent.

## XI.

Si quis in re aliqua deliquerit, paratus esse debet, pro Superioris arbitrio poenam subire, quae illi pro retinenda disciplina et communi bono fuerit iniuncta. Si quis autem cum aliorum offensione et periculo in Collegio viveret et admonitus vel etiam correctus spem certam emendationis non faceret, sciat se quamprimum excludendum.

## Ordo diurnus.

## Diebus scholarum.

Mane tam aestate quam hyeme tertio quadrante ad quintam surgitur (excepto die Martis, Jovis, dominicis et festis), tum media hora pro vestiendo corpore et aliis necessariis expediendis conceditur.

Quadrante post quintam datur signum salutationis Angelicae et peragitur meditatio.

Media sexta ad sacrum in Sacello S. Crucis audiendum omnes se conferunt, nisi sacrum vel exequiae aut officium habeantur in Templo academico. Post sacrum reliquum tempus usque ad signum lectionum datum studiis impenditur.

Finita lectione Mathematica vel Theologiae moralis aut S. Scripturae illi, qui eas frequentant, audita inter se repetere vel alio studio utiliter se occupare possunt usque ad horam, qua lectiones frequentantur.

Post horam decimam sumitur prandium extra dies ieiuniorum. Post hoc dicuntur ex voto Litaniae Lauretanae in Sacello. Sequitur recreatio usque ad duodecimam. Domini alumni tamen prius per mediam horam in cantu Gregoriano modo praescripto instituuntur et exercentur.

Hora duodecima dato signo habentur repetitiones. Porro lectiones habentur ex Jure canonico hora prima; ex Theologia et Philosophia hora secunda.

Hora quarta conceditur recreatio usque ad mediam quintam. Inde studia dato signo producantur usque ad coenam.

Hora sexta itur ad coenam. Post coenam est recreatio usque ad octavam.

Hora octava dato signo dicuntur preces vespertinae, fit examen conscientiae, itur cubitum et visitantur cubicula hora nona.

#### Diebus recreationum.

Surgitur quadrante ante sextam. Quadrante post sextam datur signum ad salutationem Angelicam et meditationem.

Media septima sacrum in Sacello S. Crucis auditur. Hoc finito student usque ad octavam. Sequitur dein recreatio.

Hora duodecima dato signo habentur repetitiones cum ordinariis repletoribus.

Hora prima incipit recreatio, non tamen licet in area ludere ante finita Juris canonici collegia.

In aestate ex arbitrio P. Regentis deambulatum exitur post coenam, quae tunc hora quinta sumitur, alias autem hora sexta.

#### Diebus dominicis et festis.

Surgitur hora sexta. Media septima dato signo ad salutationem Angelicam dicuntur preces matutinae consuetae, post has possunt adire Templum, confiteri etc.

Media nona (nisi sit communio generalis praescripta, tunc enim hora octava res divina incipit) officium divinum inchoatur in Templo academico; cui omnes semper interesse debent et una accedunt, prius mature audito signo ad portam Collegii convenientes.

Hora duodecima diebus dominicis et festis extra quadragesimam habentur repetitiones communes philosophicae et theologicae. Tum hora prima conventus sodalitatis Marianaе.

Hora secunda vesperae et post has recreatio usque ad mediam quintam. Inde studetur usque ad sextam. Si vero coenetur hora quinta, incipiunt quadrante post quartam. Reliqua ut alias.

#### Diebus profestis.

Diebus sabbatinis cantantur Litaniae in Templo academico, ad quas omnes accedunt, uti et ad vespas, quando in Templo academico habentur.

Diebus profestis solennioribus SS. Patronorum Collegii media octava vel diebus ieiuniorum tertio quadrante ad octavam cantantur in Sacello S. Crucis Litaniae.

## In quadragesima et diebus ieiuniorum.

Quadrante post decimam studetur dato signo. Hora undecima prandium seu potius coena.

Recreatio usque ad primam. Lectiones omnes una hora serius, quam alias incipiunt (excepto mense Decembri). Hora quinta psalmus Miserere cantatur in Templo academico, ad quem accedere liberum est exceptis diebus sabbatinis. Media sexta studetur. Coena seu collatio media septima.

Diebus ieiuniorum habentur repetitiones communes quadrante post decimam. Vesperae diebus dominicis hora secunda, at diebus festis hora tertia completorium, quibus adesse tenentur; ad psalmum vero Miserere et narrationem historiae sacrae accedere liberum est. Student tamen ii, qui domi sunt hora quinta dominicis et media sexta diebus festis.

De his omnibus observandis moneantur in ingressu studiosi, et si quis observare nollet, non admittatur aut dimittatur.

Insuper monendi sunt tum studiosi, tum eorum parentes vel tutores etc., observandum esse antiquum decretum et a Reverendissimo et Serenissimo Principe et Episcopo nostro 9. Martii 1709 et 10. Julii 1742 iterum instauratum et typis impressum, quo praecipitur, ut in ingressu et iterum post evolutum medium annum solutio pro integro semestri anticipetur. Quidquid autem ex depositis pecuniis post subductas rationes (quae singulis trimestribus concinnari solent) alicui supererit vel ante finitum semestre discedenti remanebit, accurate restituetur.

O. A. M. D. G.

**Nr. 35.**

*Eine Relegationssentenz. 1690. (T. I, S. 379.)*

(Lib. testim. I, 119.)

**Pro Relegatione.**

Rector,

Cancellarius, Gubernator totusque Senatus Academicus.

Officii nostri ratio postulat, ut quos admonitiones privataeque poenae in officio non continent, in illos graviolem animadversionem statuamus. Cum itaque ante paucos dies N. N. post designata gravia quaedam facta contra studiosi hominis honorem contraque reverentiam ac fidem Magistratui suo datam tam turpiter aufugerit, Nos tamen sententiam factis illius dignam statim pronunciare noluimus, sed eum publico scripto peremptorie citavimus terminumque coram nobis comparendi ei satis liberalem praefiximus, quo sic, si quas haberet factorum suorum excusationes, audiremus. Verum quia humanitate hac nostra uti noluit, necesse est, ut nunc iusti-

tiae officia praestemus. Cum igitur praedictus N. contra Academicas nostras leges de nocte et quidem cum armis vagari, obvios homines sine ulla causa pulsare alienisque aedibus vim inferre, iustitiae ministros violare, in Collegii D. Hieronymi fenestras praesentibus honoratis et clarissimis viris compressos nivium globos iaculari, et quidem temulentus sacroque admodum anni tempore, deprehensus fuerit atque super haec omnia et turpiter aufugerit et legitime citatus comparere contempserit: Nos illum inprimis de studiosorum nostrorum albo et matricula irrevocabiliter deletum omnibusque privilegiis Academiae ac studiosi honore privatum ab omni nostra Academia in sempiternum tempus separamus, relegamus et proscribimus eumque tanquam contumacem ac rebellem fideique Magistratui suo datae violatorem hoc praesenti mandato nostro declaramus. Ad haec iuxta privilegia Academiae nostrae concessa ei mansione omni huius oppidi Dilingani interdiciamus mandamusque, ut si adhuc Dilingae est, hodie ante solis occasum urbe excedat, poenas alioquin talibus proscriptis impositas subiturus. Porro studiosos nostros omnes monemus, N. N. ne posthac ut studiosum amplius agnoscant nihilque cum illo commune habeant atque ita se gerant, ut confidimus, ut ad similia Nos descendere ne compellant. Datum in Senatu Academico 14. Junii 1690.

### Nr. 36.

*Erlafs an die Studenten wegen des vorzeitigen Fortgehens und zu späten Eintreffens. 1694. (T. I, S. 180.)*

(Manuscr. nr. 229, p. 31.)

Rector,

Cancellarius, Gubernator et Professores Studiosis omnibus.

Quoniam laudatae Academiae nostrae disciplinae labem et notam non contemnendam aspergit festinatus studiosorum ante publicarum praelectionum absolutionem discessus et serus eorundem post studiorum restaurationem adventus, idcirco, cum nobis incumbat, quaecunque Academiae nostrae dehonestamento esse possunt, omni conatu amoliri, praecipimus inprimis omnibus ac singulis, ne quis, non obtenta a Superioribus venia, quae absque gravissimis causis non concedetur, ante secundas festi S. Bartholomaei vespervas hinc abeat, deinde ut ad restaurationem studiorum singuli tam mature ac tempori redeant, ut primis SS. Ursulae et sociarum martyrum vesperis interesse possint. Qui hoc nostrum iustissimum imperium neglexerit et vel maturo abitu vel sero adventu non obedientem se praestiterit, una libra cerae vel alia aequivalenti poena se noverit mulctandum. Quae quidem poena ea proportione augebitur, quo gravius quis iussionem hanc nostram violarit et suum adventum diutius procrastinaverit aut etiam ferias autumnales citius anticipaverit. Dilingae 18. Augusti Anno 1694.

## Nr. 37.

*Instruktion für die Pädagogen an den Jesuitengymnasien. 1735.  
(T. I, S. 387.)*

**Instructio pro paedagogis in gymnasiis Societatis Jesu.**

Qui curam instituendorum adolescentum suscipiunt, cogitent, se grave onus sustinere, cum aliquando non solum parentibus, sed Deo ipsi rationem reddere debeant, si per incuriam aliquos perire contingat; quod enim praeceptores in schola, hoc ipsi domi gerunt.

## I.

Itaque potissimum studium sit, eos ad pietatem quovis modo allicere, certumque tempus deligant, quo mane et vesperi tum orationi tum conscientiae discutiendae vacent; nec omittant instructionem in rebus fidei et ad doctrinam christianam spectantibus, praecipue si parvulos instruendos habeant.

## II.

Qua in re ipsi verbo et exemplo prae luceant ac singulari studio eo die, quo confitentur sua peccata vel sacram synaxin frequentant; procurrent aquam lustralem et alia arma spiritualia.

## III.

Honestatis et morum elegantiae (citra superbam tamen affectationem) ubique sint memores, ut habeant discipuli, quod imitari possint. Impexi, illoti et sine pallio etc. nec ipsi nec discipuli in publicum unquam prodeant.

## IV.

Ducant et reducant pueros modeste ad scholas, vespere, divina officia, congregationes etc., et solos nullibi relinquunt.

## V.

Sequantur autem illos, non praecedant aut latus stipeant, si per plateas incedendum, ut ita consulatur parentum honori atque existimationi.

## VI.

Ut auctoritatem suam apud discipulos tueantur, domi nihil leviter agant, familiaritates et loca suspecta devitent, ludos prohibitos fugiant et re ipsa ostendant, se religiosorum discipulos esse.

## VII.

Habeant certum tempus repetendi audita cum discipulis, mane surgendi, noctu dormitum eundi, a prandio et coena recreandi; satius enim est, horam vel dimidiam liberali relaxationi concedere, modo ne fiant nimii

ac iusto frequentiores excessus, quam cum taedio libris postea assidere. Contentur proinde bonis rationibus stabilem horam prandii et coenae impetrare.

## VIII.

Latine, non tamen sordide et vitiose, domi loquantur cum discipulis extra diem recreationis.

## IX.

Qui ius a parentibus et P. Praefecto acceperunt, in discipulos verberibus animadvertendi, moderate utantur ea potestate neque unquam colaphos infringant neque manu percutiant aut gravius castigent. Optandum est, eos laude potius quam verberibus duci.

## X.

Non patiantur vel se vel discipulos domesticis negotiis occupari, quando est studendum; quod facillime consequentur, si parentes viderint, eos diligentes esse in discipulis erudiendis et otio nihil concedere.

## XI.

Exquirant a Praeceptore modum studendi, quem cum suis accurate observent; nihil penitus explicent, nulla themata dicent neque minimum quid praescribant insciis magistris, ad quos adibunt singulis mensibus, ut eorum statum intelligant.

## XII.

Rationem, quam domi tenent, circa annuam studiorum instaurationem et circa Pascha ad P. Praefectum referant.

## XIII.

Nocturno tempore sine patrisfamilias permissu nullus domo exeat nec extra domum dormiat, multo minus ad publica hospitia accedat.

## XIV.

Discessuri nullum promoveant in suum locum neque parentibus suo arbitrato quempiam proponant, sed rem integram P. Praefecto relinquunt, cuius erit iudicare, quis huic muneri cum parentum et filiorum commodo praefici queat. De obitu tempestive parentes et P. Praefectum commonefaciant.

## XV.

Qui regulas has non observaverint, tanquam officio suo non recte fungentes causam praebent parentibus et P. Praefecto, alium substituendi, in quem sumptus melius collocentur et qui parentes magis in bene educandis filiis sublevet.

**Nr. 38.**

*Vorschriften für die unter einem Pädagogen stehenden Studenten. 1735.  
(T. I, S. 387.)*

**Leges litterarum studiosis domi observandae.**

## I.

Hora quinta surgant, dein unum quadrantem vestiendo, alterum Deo precando insumant, a media sexta usque ad sacrum studiis dent operam et dato ad scholas signo mature se eo conferant.

## II.

Post scholas usque ad prandium repetant, quae a Praeceptoribus sunt praelecta et explicata. Reliquum tempus tribuant lectionibus pomeridianis discendis. Si nullae sint futurae scholae, recolant correcta themata vel legant authores et ex iis excerpant; quod etiam fiet, cum tempus ab ordinario penso vacuum fuerit, ne illud otio transigatur; posset etiam illud tempus formandis quandoque bene litteris impendi.

## III.

In mensa sunt modesti, colloquia inurbana pravaque devitent, ab inani risu, iocis, crassis moribus ac gestibus abstineant. Oratio praeceat et sequatur.

## IV.

A prandio et coena per horam honestae recreationi vacent, ut valetudo conservetur, dein diligenter studeant, sileant et alios non turbent. Si quod negotium peragendum, expediatur tempore recreationis.

## V.

A schola pomeridiana ad mediam quintae nec ultra animum nonnihil honeste relaxent, inde studiis rursus usque ad coenam sedulam operam navent; absoluta coena per horam honeste se recreent. Tum per mediam horam praelegant bis vel ter lectionem mane discendam et argumentum describant aut explicationem discant.

## VI.

Inde simul omnes orent Litanias aut OO. SS. aut B. V., conscientiam examinent et honeste cubitum eant.

## VII.

Eadem studiorum ratio teneatur diebus festis, nisi quod subinde amplius somno indulgere possint. Post officium legatur pius libellus usque ad prandium.



## VIII.

Modestia ubique sit commendatissima, praesertim in mensa et cubili. Munditiam et ordinem in rebus omnibus diligenter observent.

## IX.

Inter se semper latine loquantur, exceptis diebus recreationum, quibus vernacula lingua uti poterunt.

## X.

Nemo abnoctet, nemo sine Paedagogi praescitu exeat nec sine Paedagogo ad scholas eat vel recedat nec die recreationis sine eo ad campos excurrat.

## XI.

Paedagogo omnes cum debita modestia oboediant.

## XII.

Denique quod leges scholasticae iubent, Deum, Beatissimam Virginem, Angelum Custodem, singulares suos Patronos et omnes Caelites quotidie venerentur et pietatem atque innocentiam tanquam omnis boni radicem sedulo custodiant.

Omnia ad maiorem Dei Deiparaeque Virginis Mariae gloriam.

## Dilingae.

Typis Joannis Ferdinandi Schwertlen, Reverendissimi ac Serenissimi Principis et Episcopi Augustani Typographi. Anno 1735.

**Nr. 39.**

*Statuten für das Seminar der Ordinanden. 1741. (T. I, S. 459.)*

**Statuta nova**

**pro candidatis ss. ordinum in Convictu S. Hieronymi Dilingae observanda.**

## I.

Omnes et singuli candidati hoc nostrum seminarium ingressi habitum clericalem ad talos usque defluentem portent.

## II.

Statim post ingressum per integros octo dies exercitia spiritualia sub directione Patris spiritualis faciant.

## III.

Leges et statuta collegii S. Hieronymi ab Antecessoribus nostris laudabiliter edita et confirmata aut in posterum edenda et confirmanda, uti etiam praescriptum ordinem diurnum diligenter observent.

## IV.

Singulis diebus postquam mane a lecto surrexerint, per mediam horam orationi mentali seu meditationi vacabunt iuxta directionem Patris spiritualis.

## V.

Sacris exhortationibus et aliis exercitiis practicis ad arbitrium Patrum Instructorum instituendis omnes intersint.

## VI.

In rubricis, ceremoniis et ritibus ecclesiae sese diligenter informet et in officiis divinis pro gradu ordinis ad altare alternative ministrent.

## VII.

Scholas publicas pro sua quisque facultate, cui student, diligenter frequentent, uti etiam repetitiones tam publicas quam privatas.

## VIII.

Singulis diebus, exceptis dominicis et festivis, mediam horam addiscendo cantum Gregorianum impendant.

## IX.

Conversationem et familiaritatem cum laicis tam intra quam extra convictum omnino evitent.

## X.

Omnes et singuli institutioni, correctioni et punitioni suorum Superiorum sese subiciant illisque in omnibus sine ulla contradictione aut oblocutione humiliter obtemperent.

Josephus Episcopus Augustanus,  
Land<sup>us</sup> Hassiae.

---